


libriore ocio fruendi Arabico exemplari, quod magna cura in illa Damascena bibliotheca asseruabatur. Ex quo rursus fere eodem tempore Latinitate donati sunt à Petro Nicolao Faentino, qui libriore quidem otio fruebatur, sed (bona omnium venia dixerim) Latini sermonis facultate non satis erat instructus. Quare sic ab hoc Latini facti sunt, ut quanquam eius laboribus magna gratia habenda sit, quòd illos nobis perire noluerit: negari tamen non possit, in verbis & orationis compositione nihil esse eiusdem interpretatione insulsus. Itaque cum hos ante annos duodecim avidissimè percurrissem, diuinitatemque sententiarum in eisdem valde essem admiratus, sed futurum ominarer ut ab hac delicatiorum ingenia facile auerterentur verborum impuritate, totoque interpretationis genere supra modum incompto & squalido, adhibendum non nihil opera existimaui, non quidem ut omnino contraria orationis suauitate splenderent (quò enim possem hoc, vix ipse in loquendo purus & emendatus, presertim in eare tractanda in qua permulta sunt Latinis non satis usitata?) sed ut sermo paulo tolerabilior, cum sententiarum antea confusarum accuratiore distinctione, in qua potissimùm laboraui reddere opus hoc nostris familiaris, quibus erat omnino incognitum, vel certè non satis commendatum pro dignitate rerum quas in se continet. In quo quid affecutus sim, is facile iudicabit qui hæc nostra sedulo comparabit cum eo exemplari quod sumus secuti. Tantum rogabo, neglecto authoris nomine, (nec enim de eo quicquam audeo statuere) ut omnes quos doctrina Platonica delectat, huiusque cum Christiana religione comparatio, his fruatur, quibus nescio an quicquam sit in veteribus Philosophis diuinius. Nec verò, Candide Lector, si tua beneuolentia fauerit, in his primis & rudibus lineis, quæ nostris scholys ducta sunt, conquiescam. Sed cum Alcinoum absoluero, recognita huius operis interpretatione, & in sententijs accuratiùs comparata cum Platone, Plotino, & Iamblichò, atque etiam cum D. Dionysio Areopagita, dabo operam ut tibi aliquando cumulatiùs satisfiat. Interea bene Vale.



DE SECRETIORE PARTE

DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECVNDVM

ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS LIB. I.

Interprete Iacobo Carpentario, Claromontano Bellouaco.

CAPVT I.

Instituti ratio in hoc opere proponitur, eaque in suas partes distribuitur, ut intelligatur quo modo hoc ad reliqua quæ de Philosophia variè scripta sunt se habeat.



INEM primùm potissimum. A que quærimus, inquit Philosophus, eundemque postremum assequimur. Atque omnia quæ orta sunt, suapte natura certum finem appetunt. Siquidem constitutum est vno consensu eorum qui in diuinis sapientiâ cæteris præstant, vniuersæ naturæ causas antecedentes & coniunctas esse quatuor: Materiam, Formam, Efficientem, & Finem, reliquis nobiliorem. In hisque & harum affectionibus omnem contemplationem versari oportet, pro cuiusque rei propositæ dignitate. Et nos quidem in Metaphysicis iam cum sermonem absoluimus, qui causarum eiusmodi explicationem continet, earumque vsum expressimus in iis quæ de anima & natura sunt dicta. Ut in illis ratione perfecta eaque necessaria, intelligatur substantias nisi proposito aliquo fine, esse nullo modo posse. Nec verò sapientis studium diuturnum esse potest, nisi huius finem aliquem constituat. Ex quo initio posito, in vnaquaque scientia permultum quidem adiumenti homines capiunt: sed accedere necesse est diligentiam atq; indu-

striam, ut maiores progressus faciamus. Quare in hoc opere, in quo philosophiæ quasi summam facimus, primo loco instituti ratio proponenda. Ea autè ad vniuersi contemplationem pertinet, ex eorù sententia qui omnia exposuerunt per notas & figuras adeò obscuras, ut nemo quantumuis ingenio acutus & diligens, ad ea quæ illis inuolucris tecta sunt, sine magno labore possit peruenire. Nos autè institutæ speculationis capita omnia proponamus: deinde singula explicabimus. Ac potissimùm quidè hoc opere in cõtèplatione Dei versamur, quoq; differat ab alijs, quærimus. De quo hæc docere instituimus: potestate eius vniuersitatem naturæ tempusque contineri: eundem causarum omnium authorem esse, atque singula pro cuiusque natura procreasse: intelligentias illustrare, per easque medias, intellectum: per intellectum verò, animam communem eandemque cœlestem, cuius vi dirigitur natura eorum omnium quæ oriuntur & intereunt: omnia ab illo sine motu perfici, omniumq; rerum motus ab illo esse, & ad illum referri. Siquidè omnia naturæ atq; essentiæ appetitione ab eo, in

eo, atque ad eum mouentur. Secundo verò loco contemplabimur mundum intelligibilem, vt eum qui Dei bonitatem refert: in illoque existentes diuinas formas, & ab eodẽ tanquam à fonte bonitatem in singula profluentẽ. Quoniam eo ipso quòd sunt, cum illo similitudinem quandam habent: sed propter ea quibus inuoluuntur, perfectè à nobis non possunt exprimi. Explicabimus etiam communem cœli naturam, quam facultatem ab intellectu accipiat: & quæ syderum dignitas atque lux. Ex iis descendemus ad ea quæ Lunæ sunt subiecta, quæremusque quomodo in hanc vniuersitatis partem cœli virtus influat: quæ in rebus sub sensum cadentibus, materiatis, commutationi & interitui obnoxiiis, manifesta apparet. Deinde describemus, animorum qui rationis participes sunt, affectiones: cùm in ipsa corpora descendunt, aut ex ijs ascendunt: atq; causã reddemus quæ earum cum corporibus vnionem continet. Dicemus quoque de ea animi parte quæ honoranda est, & moribus intellectus exornata: nec in rerum fluentium cupiditates demersa: nec corporis sordibus infecta; itemque de altera quæ deformis & rebus variis contaminata. Exquiremus etiam affectionem animæ sentientis atq; alentis: qualisq; ea sit quæ terræ, igni, cæterisq; elementis inest. Quæ omnia, vt antea diximus, abdita, explicabimus per figuras instituto accommodatas.

CAPVT II.

Quomodo anima qua suapte natura interitus expers, ad superiorem mundum pertinet, in hunc inferiorem descenderit, & cum caduco corpore coniuncta sit.

CVm ex veterum libris manifestum sit & iam probatum, animum corpus non esse, nec interire, sed permanere: nunc quæramus quo modo is ab intelligibili mundo in hunc sensibilem descenderit, & cum eo corpore coniunctus sit, quod suapte natura est dissolubile. Etenim nulla substantia quæ omnino solaque intelligentia continetur, motum subire potest: sed ea in priore mundo fixa, ab illo nunquam diuellitur, nec vsquam mouetur: cùm nullum locum habeat ad quem deferri possit. Hoc verò sic explicamus. Omnis substantia intelligibilis quæ secundo est gradu, suapte natura aliud quiddã appetit. Intellectus autem cum aliquid appetendo concepit, ad illud mouetur: sic vt grauida mulier parere nititur. Ille itaq; cùm aliquid appetendo conceperit, hoc consequi conabitur. At intellectus inferiorem conditionem appetens, in animum transit. Quare hic non est alius ab intellectu appetente, appetitione communi. Nec verò communis

A animus ab intelligibili mundo secundum substantiam separatur: sed singula appetens, sub opere vniuerso, ab illo recedit: atque illa quoad potest in ordinem reuocans, peccatum quod accidit, temperat ex lege cœlestis causæ propinquæ animus, qui singulis accommodatus, in corpore non est, sic vt videtur, sed externus. Prius igitur ille mouetur ad mundum primum, deinde ad secundum: tertio ad primum reuertitur. Ac ad eorum vnumquemque opportune & suo tempore.

CAPVT III.

Animum etiam in belluis atque plantis non interire: sed à corpore separatum ad superiorem mundum reuerti: in eoque quo differat humanus à reliquis.

Intellectus agens nunquam ab animo separatur: sed cum hoc in omnibus probata occasione operatur. Itaque animus in perpetua functione est, quia semper est: & quanquam qui aliis animalibus insunt, vt Leoni, peccando recesserint à mundo superiore: non tamen sua substantia intereunt, sed in affectionibus tantum. Atque idcirco non omnino intereunt, sed ad superiorem mundum reuertuntur. Affectiones enim in inferiore mundo ab animo diuersæ sunt: sed ad animalis naturam accommodatæ. Si quidem ex hac proficiscuntur. Eademque ratione plantarum etiam animi ab vno principio ducunt originem, cùm in vita conueniant substantiæque sint, non affectiones, atque corporis expertes, non partibiles, ideoque interitui minimè obnoxij. Animus autem humanus tres partes habet, alentem, sentientem & intelligentem: quæ dissoluto corpore separatur. Atque hinc peccatum fugiendo, à corporis contagione liber, magnam habet dissimilitudinem cum altero qui in materiam est demersus: & ijs affectionibus de corpore enatis, vel vt vinculis detinetur, ne ad superiorem mundum possit ascendere: Ad quem nisi per multas difficultates non potest peruenire: sed extinctis harum affectionum viribus, ille corporis sordibus repurgatus, tandem reuertitur omnis interitus expers. Non enim res aliter habet, sic vt plerique à scientia verè diuina alieni opinantur. Si quidem hic à suis authoribus conseruatur, quanquam separatus: estque verum quiddam atque perfectum. Quare, vt sæpe iam dictum est, is non interit.

CAPVT IV.

Ad confirmandam animi humani immortalitatem, rationes populares repetit ex autoritate & opinionibus communi hominum consensu probatis. De eoque Platonis sententiam commemorat.

Rationes verò probabiles apud eos qui illis tantum commouentur, repetentes breuiter percurramus: atque id pro principio ponamus in quo veterum, recētorum, Theologorum, Philosophorum, vatum ac populorum summa fuit consensus, animum scilicet corporis illecebris captum, in Dei odium statim incurrere: atque idcirco peccata esse fugienda, & illas corporis illecebras tollendas: sic enim Deum nobis futurum propitium. Neque verò si maiores de animi immortalitate dubitassent, ad eam confirmandam dictante natura legem posuissent: cui nemo aduersatur, nisi qui vitis detinetur. Hoc etiam illi addiderunt, multorum hominum votis fuisse animos à corporibus separatos, & ad alium mundum reuersos. Quod veritatem exquirenti ex iis manifestum esse potest, quæ diuinitus nobis apparent, & ex templis quæ propter hæc sunt illis extructa. Animus igitur ex hac vita excedens, & ad alium mundum delatus, omnino non interit: quoniam propter vitæ præstantiam æternitatis est particeps. De quo eadem fuit Platonis sententia, cum de animo communi ita loquitur. Ego sæpius animo contemplans relicto corpore visus sum perfrui summo bono cum voluptate incredibili. Quare hæsi quodammodo attonitus, agnoscens me esse partem quandam superioris mundi, atque adeptum sentiens vitæ immortalitatem, sub luce maxima: quæ neque oratione exprimi potest, neque auribus percipi, neque cogitatione comprehendit. Tandem vero hac contemplatione defessus intellectus, recidit in phantasiam, tumque illa luce deficiente, factus sum tristior. Rursus relicto corpore, eò reuersus deprehendi animum luce abundantem, huncque tum in corpus influentem, tum supra hoc excitatum. Hæc igitur Plato. Qui ad supremum mundum aspirans intellexerit substantias diuinas causasque vniuersas, profecto summum præmium consequetur. Quare nemini hoc negligendum est, etiam si in eo maximus labor subeundus. Siquidem in illo fruetur animus tranquillitate perpetua, eaque quæ nullaratione potest interturbari. Atque cum homo ad hanc contemplationem natus sit, nihil agit si vel minimo tempore ab illa recesserit: immo animum perdit, sibi que maxime contrarius efficitur. Ex quo futurum est vt in obitu eum vitæ antea frusta pœ-

Tom. 4.

Aniteat. Quo præcepto Plato hominem adhortatur ad erigendum intellectum in superiorum contemplationem: quam ipse facultatem iam erat consecutus. Quod Anticles quoque significauit, cum animum in superiore mundo honorandum ante corpus extitisse dixit: eundem verò post peccatum, in inferiorem mundum decidisse, in quo suo pudore ac verecundia à Deo veniam postea consequatur. Descendit etiam hic vt aliorum animos, in quibus intellectus perturbatur, sursum reuocet. Est enim animus qui potuit emergere, similis homini qui pene extinctus recreari cœpit, & quantum potest apud homines voce contendit, præcipiens vt mundum omniaque in eo malorum irritamenta fugiant: simul etiam indicans qua via ad superioris vitæ delicias possint reuerti.

CAPVT V.

Cur communis animus è superiore mundo in hunc inferiorem descenderit: quibusque de causis cum corpore sit coniunctus. Eadem verò quaestio pluribus tractatur cap. 1. lib. 7.

DE animo communi quærendum est cur in hoc corpus descenderit, an vt sua sponte pareret: an verò ab aliqua potentiore causa coactus. Siquidem animi cognitio potius quàm vllius alterius rei, adiumentum nobis est allatura. Præsertim cum ab hoc ad intellectum progredi facile sit, vt tandem in Dei summi cōtemplationem erigamur. Atque etiam ex ijs simul intelligemus an Deus omnia rectè procreauerit, & per scientiam partibus omnibus absolutam: an verò per aliud cogitationis genus. Plato igitur olim plura animo attribuit, quæ nos ex eius viuâ voce excepimus: sed ea non sunt ab illo litterarum monumentis mandata: ex quibus alioqui facile lector huius mentem deprehendisset. Eiusmodi autem attributa diuersa sunt. Quoniam intellectus cum sensu coniungitur, nec in omnibus hunc despicit, sed conjunctionem cum corpore: à quo ligatus peneque extinctus detinetur. Animus enim in hoc, vt in loco est: sic vt etiam Anticles arbitratur: sed amplius hoc addit, corpus illius esse carcerem. Ex quo à Platone etiam dictum est, animum corpore solutum ascendere atque illustrari: eundem descendente obscurari, sed postea purgatum rursus ascendere. Hujus autem descensus causæ sunt permultæ. Quarum prima in peccato est, vt scilicet pro eo pœnas det, non nihilque promereatur, atque Dei leges subeat. Alij ob aliam causam descendunt, quam ille non commemorat. Sed colligens, animi descensum execratur: additque quoniam mundus hic substantiæ suæ præstantiam quandam habet & excellentiam; in eo animum extare oportere: deuicto intellectu, quemadmodum in superiore mundo idem sempiternus

AAA iij

habetur. Non enim rationi consentaneum mundus hic latissimè pateas & perfectè conformatus, intellectus sit expers. Neque verò huius particeps esse potuit, nisi in eodem animus antecederet. Quare summus opifex animum cum illo coniunxit, & cum ea animi parte cuius est ratio, species permiscuit. Siquidem animi partes sine quadam diffensione inter se minimè esse videntur. De quibus in plantis paucae sunt, in belluis plures, in homine plurimae. Vt iste mundus suam perfectionem habeat, quanquam ei quae in superiore est, minimè parem. Quia ab illo conformatus est, omnisque inheritus originem continet. Quare mundo in sensum cadenti inesse oportet ea etiam animalium genera, quae inelligibili insunt.

CAPVT VI.

Veteres reprehendit, quòd in naturalibus explicandis, nimium materia atque sensibus tribuerent, deinde docet quis natura, animi & intellectus ordo sit: quoque modo hac omnia ad Deum referantur.

Rursus animi affectiones contemplemur, vt ex Philosopho aliquid utilitatis referamus. Veteres de eo inter se variè disputarunt, an animo cum corpore quaedam essent communia: nec eandem sententiam sunt secuti. Incipiamus verò ab opinione senis, cuius proximè mentionem fecimus. Hic animaduertit veteres Physicos in cognitione rerum sensus mouentium, aberrasse, quòd earum cognitionem ex iis quae inferiore mundo continentur, inquirerent, nec arbitrarentur illis inesse quaedam occulta: quodque neglectis alijs quae ad intellectum pertinent, sensibus omnino essent addicti, iisque adiuti, ex commutabilibus perpetua contemplarentur. In quo cum illos sensui nimium tribuentes, à veritate aberrare videret, misertus, eos in rectam viam reduxit, intellectumque à sensu distinxit, & ea quae intellectui obiecta sunt, à sensilibus. Quòd illa perpetua omnisque mutationis expertia inueniri diceret: hæc autem mutabilia & interitui obnoxia. Horum verò omnium principium vnicum, id quod primum est & verum, Deum scilicet vtriusque mundi opificem. Addit etiam eiusmodi primum agens summè bonum esse, aliudque ab eo

A nihil esse quod ex se bonum sit: sed quaecumque bona sunt, ab illo talia existere. Affirmauit quoque mundum hunc ex materia & forma constare, atque quod materiam secundum rationem essentiae informat, id quoque illa esse nobilius. Itemque ab illa animi parte in qua rationis est principium, primam materiam informari: propter vim quandam ab admirando intellectu influentem: animum quoque ab intellectu agente ad formandam primam materiam, adiuuari virtute entis quod omnium primum est. Quod idem horum trium principium existit, intellectus scilicet, animi atque naturae. Ex quibus extiterunt res pulchrae in sensum cadentes, vi agentis primi: intermediis verò animo & intellectu. Aptè etiam ens verum, primum, Deus summus simplex & omnium perfectissimus, intellectui primò dat vitam: deinde animo, postremò naturae intellectumque sic vt & animum atque naturam constituit rerum aliarum principia.

CAPVT VII.

Omnia sic à Deo esse facta vt quanquam ad eorum explicationem tempus adhibeamus, in tempore tamen non sint procreata.

Qui verò in iis Philosophi verba audiunt, minimè existimare debent omnia in tempore à Deo esse procreata: quasi nihil altero prius esse possit, nisi tempore. Cum tamen necesse sit id quod efficit, prius esse eo quod efficitur. Neque vero illud ita est. Siquidem intellectus sic vt & sensus, res sine tempore discernit. Sed in eo veterum in loquendo consuetudinem Plato sequendam putauit. Qui cum rerum procreationem describunt; tempus coguntur inducere: cum tamen eius reuera nullum tempus sit. Differt enim agens primum, altissimum, res inno-uans à secundo, inferiore & umbratili. Quare si quis intelligere vult, an quod patitur, in tempore patiatur; prius inquirat an quod agit, in tempore agat. Patiens enim ab eo quod in tempore agit, in tempore quoque patitur. Patiens verò ab altero quod in temporis quasi puncto actionem perficit, etiam in puncto patitur.

DE SECRETIORE PARTE

DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECUNDVM

ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS LIB. II.

CAP. I.

*Animum in mundo altero liberrima contempla-
tione frui: neque hac unquam satiari:
nec præteritorum memoria
indigere.*



Nimis cum est in superio-
re mundo, intuetur natu-
ram rerum quæ in eo sunt,
neque in ratiocinãdo eum
modum adhibet quem in
hoc inferiore. Immo ne-
que hæc infima contem-
platur, quoniam altiora perspicit. Ut enim
cum est in inferiore mundo purior, propter
naturæ præstantiam, se ad hæc terrena non
demittit: sic iustiore causa hoc mundo solu-
tus, & ad nobiliorem reuersus, non memi-
nit præteritorum. Sed altiora semper con-
templans & amans, nunquam satiatur: om-
nemque actionem & cognitionem ad illa
refert. Quare cum illi in superiore mundo
rerum omnium scientia constantissima insit,
habeatque semper in promptu ea circa quæ
versatur, illorum nulla memoria indiget.
Atque etiam cum alienus sit ab omni scien-
tia quæ ex iis inferioribus est percepta; (non
enim horum pristinam comprehensionem
seruauit, neque amplius ea quæ eiusmodi
sunt, vult intueri; sed rei commutabilis
scientia, in naturam commutabilem cadit;
(qualis in mundo intelligibili omnino nulla
est;) non potest eius quod ignobile est, vl-
lam memoriam seruare. Itaque contempla-
tur, sicut diximus, modoque pro sua facul-
te, omnium perfectissimo.

CAP. II.

*Animum in superiore mundo aliter quàm in hoc
corpore intelligere: eumque in iis quæ intel-
liguntur, ordinem quidem notare, sed nul-
lum tempus interponere quo illa distinguan-
tur.*

Hoc etiam constituimus scientiam om-
nem in superiore mundo perpetuam
esse. Quoniam nihil in illo, tempore cir-
cumscriptum est. Ideoque animus in eo
formas sine tempore contemplatur. Siqui-
dem illas euidentes semper habet, tum su-
premas, tum infimas. Nec verò is ab vno
ad aliud progreditur: aut in discernendo à
generibus ad species res ve singulas descen-
Tom. 4.

A dit, nec à formis ad genera aut ad magis v-
niuersa ascendit. Quare neque etiam earum
recordatione indiget. In quo si quis eo cõ-
moueat, quod hæc conditio solius intel-
lectus sit, cui omnia simul re ipsa insunt, qui-
que idcirco recordatione non eget; animus
autem aliter se habere videatur: quia scilicet
huic plura simul re ipsa non insunt, quemad-
modum neque materiæ primæ, sed suapte
natura vnum ex alio consecutione quadam
comprehendere videatur: hisque positis huc
recordatione indigere arbitretur, siue in in-
feriore mundo, siue in superiore versetur:
hoc illi respondebimus, animum in mundo
superiore posse simul plura cognoscere.
Quoniam aliud quiddam est quod cum sim-
plex sit, eodem actu multa cognoscit: vt as-
pectus, colores multos. Quare & animus
simul plura cognoscet, eaque sine tempore,
quia tempore superior, vt pote qui illius est
causa. At rursus, inquiet aliquis, animus
primum ab ultimo discernit, eoque vnum
ab alio videtur distinguere: nec omnia si-
mul cognoscere. E quidem dicimus animum
non cogitatione sed intellectu discernere,
atque idcirco nullam intercedere distinc-
tionem, sed maximam vnionem subire. Præ-
sertim cum ipse intellectus res sine tempore
discernat: Nec, quia suapte natura simplex
est, in se quicquam habeat in quo vnum
prius sit, alterum posterius. Quoniam rebus
in illo fluentibus nullum medium interce-
dit: sed principium cum fine connectitur. Si
quis verò etiam amplius vrgeret atque con-
tenderet, manifestum esse, animum in rebus
discernendis, principij, finis mediique co-
gnitionem habere: id quidem admittimus,
sed ita tamen vt in illis ordinem quendam
inesse fateamur: temporis verò diuisionem
minimè. Quod manifestum est in oculo ar-
borem intuente. Nam in ea radices & ra-
mos simul videt, & tamen prius radices
quàm ramos: non quidem tempore, sed
ordine. Si verò oculus res ita cognoscit,
quanto veriùs de intellectu dici potest,
hunc, principium, finem & medium ordi-
ne quidem, sed tamen sine tempore cogno-
scere.

CAPVT III.

Animum substantia simplicem, facultate esse multiplicem: harum verò facultatum distinctionem in corporibus apparere: atque intellectum secundum suam essentiam semper intelligere, sed in vniuersis, quæ aterna sunt, non in singulis versari.

ATque si eo posito, quòd animus simul cognoscat simplicia & composita, aliquis inquirat quo modo hic facultatibus distinguatur, quarum vna prior sit, altera posterior; fatebimur illum vnicum esse & simplicem, sed præter substantiam, facultatibus multiplicem: & quanquam simul multa agere videatur, functiones tamen esse distinctas, pro ratione patientium. Siquidem non in omnia corpora ex æquo cadunt, sed pro cuiusque conditione. Ergo functionum varietas rebus ipsis inest, non animo. Itaque hoc statuimus, intellectum vnum multa operari: atq; instar materiæ primæ, rei cognitæ specie informari. Qui in actum suum excitatus, rei intellectæ similis est, hoc solo differens, quòd communis est. Eum verò in actum excitari dico, qui propositum aliquid habet in cuius speculatione versetur. At in potestate adhuc esse dicitur, cum suæ contemplationi nihil re ipsa subiectum habet. Porro si quis etiam contenderet, intellectum numquam quicquã sibi habere obiectum: huius opinionis error ex eo deprehendi potest, quòd intellectus suapte natura sæper intelligit. Si quidem eius essentia in functione est. Si verò sæper intelligit, perpetuum quoque aliquod obiectum habeat est necesse. Quare intellectus est omnia, sub ratione communi, secundum quam intelligit, & qualem, vt sæpe diximus, suapte natura obrinet. Sic verò suã substantiam intuens, alia intuetur. Atque ita substantiam, quæ inferiora omnia continet, eandem habet cum eo quod est contemplationi propositum. Id verò est quod à sapiente dictum, Deum summum, authorẽ esse intellectus ei' qui in se ipso omnia quæ ab vno principio profecta sunt, & ad idẽ reuersura, cognoscit: in aliis vero cõnuere videtur: id est, qui seruat formas vniuersas, singulas prætermittit. Nõ enim singulis sublatis vniuersum tollitur: quẽadmodum neque sublatis singulis animalibus, animal tollitur: at sublato vniuerso, omnia singula tolli est necesse.

CAPVT IV.

Intellectus (sicut & antea, animi,) munera distinguuntur in superiore mundo & in hoc inferiore: atque ampliùs queritur num ipse in illis obeundis mutationem aliquam subeat.

IN quo si quis rursus hoc afferat, quoniam intellectus aliquando substantiam

A suam ad contemplandum propositam habet, aliquando res ipsas, commutationem aliquã in eum cadere oportere, quem tamen antea diximus incommutabilem esse atque impatibilem: hoc explicemus, constituentes eum diuersa naturæ suæ conditione in rebus ipsis contemplandis versari. Si quidem in mundo intelligibili, se ipse contemplatur. Ideòque huius intelligendi munus, eiusdem est essentia. In altero autem cadente in sensum, contemplatio modò ad huius essentiam pertinet, modò ad res ipsas. Atque ad has ratione eius quod secundum partem dicitur: cuius essentia redit ad id quod vniuersum est, eo sublato quo impeditur. Quod enim in parte est, vim habet vniuersi: illudque huius attributionem recipit, per quod etiam definitur, eo solo differens quod vniuerso subiiciatur. Hoc etiam accidit quòd per intermedium animum huic corporea quædam affectio imprimatur. Intellectus enim in corpus demersus, eoque inuolutus, atque cum sensu coniunctus, res ipsas propositas habet, quæ contemplationi sunt subiectæ. Separatus verò in essentia suæ cognitionem incumbit. Qua sola ratione in intellectum quædam varietas cadit. At animus res ipsas dicendo moueri dicitur: quia finitimus efficitur mundo intelligibili. Eiusque motus reflexus est: quod scientia rem ipsam propositam habeat quam contempletur, atque ex hac ad essentiam reuertatur. Moueri tamen dicitur, quia circa rem suapte natura immotam, variè afficitur. Intellectus autem varietatis expers, etiam immotus est. Nec verò fieri potest vt animus immotus sit. Quoniam hic subiectus intellectui. Quod autem alteri est subiectum, id immotum esse non potest: ne cum attributo idem efficiatur. Hoc tamen tenendum est, animum in superiore mundo prius recto motu moueri quàm reflexo: in inferiore, contra. Si quis verò ampliùs vrgeat, atque intellectum moueri contendat: quia ab vno in aliud quandam varietatem recipit, quod autem variè afficitur, idem quoque moueri sit necesse; dicemus, intellectum nunquam moueri nisi volente huius opifice primario. Cum verò hic vult, tum illum rectè perpetuòque moueri. Quoniam eiusmodi motus illi quædam est quies: propter essentiam quæ perpetuam habet atque impatibilem: Eoque cæteris naturis est præstantior. Quæ si non adhuc satisfaciunt, sed contra quis contendit intellectum contemplando moueri: quia contemplationi subiectam habet nonnumquam rem ipsam, aliquãdo verò suam essentiam: E quidem si in eo mouetur, non aliter quàm à se vel ad se ipse mouetur. Quare non ad res externas, nec ab illis ad se ipse mouetur, cum eas in se contineat, contentasque in naturam excitet, & in eo ipso motum subeat æquabilem, omnisque varietatis exper-

tem, atque idcirco quieti simillimum. Si quidem motus qui propriè dicitur, ab vno in aliud progressionem habet. In hoc autem nec adimitur quicquã, nec vlla partitio notari potest. Quare neque commutatio est, neque passio. Quoniam ille nec à sua substantia recedit, nec vllam qualitatem mutat. Neque enim verè scire diceretur, aut constàter nosse, si in eo cõmutaretur. Sed res obiectas contemplans, nihil mouetur: quia illas in se continet. Quæ vt sæpe diximus, ab illo perfectæ, ad eundem reuertuntur.

CAPVT V.

Animum, sicut & intellectum, in superiore mundo mutationis esse expertem, quia cum corpore non communicat: eundemque inter corpus & intellectum medium existere.

NEque verò animus in superiore mundo, qui intelligibilis est, cõmutabitur. Quoniam in eo purus & ab omni inuolucro concretionèque secretus, actu suo fruitur, nulla in re cum corpore communicans, rerumque inferiorum veram atque absolutam cognitionem est adeptus. Siquidem illic cum intellectu sine medio vnitur: qui in hoc inferiore cum sensibus erat coniunctus. Immortalis igitur clariórque factus, cum intellectu cohæret & ab eodem informatur. Qui enim ipse mortalis cogitari possit, cum aliæ substantiæ interitus sint expertes? Has enim ille seruat, sicut & ab intellectu ipse seruatur. Intellectus autem à primo rerum omnium opifice, qui à se ipso est. Atque intellectus ipsius animi species est, ad eumque hic se refert & cum illo contemplatur. Qui prior rebus cæteris sine alia causa interiecta procreatus est: & per hunc intermedium, ipse animus: sicut & illa media natura procreata. Per medium autem animum, corpus: quæadmodum & hoc intermedio reliqua sunt procreata quæ ortui & interitui obnoxia. Ex quibus efficitur, animum in superiore mundo incommutabilem atque impatibilem, substantiæ suæ huiusque totius cognitione perfrui. Quæ vnica scientia comprehensa est, eaque nullam dissimilitudinem recipiente: propter summam in illa vnionem. Si quidem tunc & ipsa & res quæ intelligitur atque intellectus, vnum quiddam sunt.

CAP. VI.

Animum, sicut dictum est, inter corpus & intellectum medium aliquando ad intellectum erigi, nonnumquam ad corpus deprimi. Indèque accidere vt cogitatio quæ illi propria est, in eodem duplex appareat.

ANimus ab intellectu digressus, & in hunc mundum demissus, in rebus contemplandis, præter intelligentiam, memoriam

A habet: sed sine recordatione superiorum. Alioqui non descendisset in hunc inferiorem mundum. Atque quemadmodum inferiorum memor, ab illis recedens in hæc descendit: sic antea in cælestes orbis delapsus, si eorum memoriam seruiret, in eis cõsisteret. Quare vt cum in inferiore mundo est, inferiorum tantum meminit, sic in cælum excitatus, eius solius memoriã retinet, eique similis & quasi idem efficitur. Iis enim similis est animus quorum memoriam habet: nec sine illa similitudine verè memor esse diceretur. Quiddamq; similis est intellectui: alius verò sensui. Atque substantiarum intelligentia, ratione firma nititur: cogitatio autem, infirma. Hæcque non vnica est, sed varia & multiplex, pro varietate eorum quæ in eundem cadunt: siue terrena sint, siue cælestia. Quibus per imitationem quandam est similis penèque eadem. Illa autem corpora sunt quasi emortua; quoniam secunda sunt. At cogitatio vtriusque verè similis esse non potest, sicut intelligentia. Quoniam illa mediã est inter intellectum & sensum: atque in vtrumque horum ex æquo propensa: nec sine iis quicquam perfectè conseruare potest. Ex quibus manifestum est animum per memoriam cum visione coniungere rem nobilem vel ignobilem. Ergo reuersi ad id quod erat institutum, dicamus animum in mundo superiore non impeditum, perfectum bonum appetere, idemque, medio intellectu representate, intelligere liberum minimèque impeditum. A quo animus vniuersi & rationis particeps, per medium intellectum distinguitur. Enimverò idem animus à primo bono auersus, & ad inferiora conuersus, ea expetit quæ memoria continet. Siquidem talia non appetit, nisi prius cogitatione complectamur. Antea verò dictum est cogitationem esse quandam memoriam.

CAP. VII.

Intellectum res superiores & inferiores quodammodo ignorare; quamquam ratione dissimili. Idemque de animo dici posse, qui aliter res cognoscit in corpore quàm cum ab eodem est separatus.

SI quis autem subiiceret, animum in huius mundi contèplatione vigere prius quàm in eundem delabatur, atque hac ratione fore contendat vt ab hoc ad superiorem reuersus, inferiorem adhuc intueatur, ideòque eius memoriam seruet; cum tamen iam dictum sit in mundo intelligibili nullam esse huius memoriam: ad eius rei explicationem constituamus, animum, mundum hunc quem nondum incolit, contemplari per intelligentiam, quæ ignorantia quædam est, non scientia: & tamen quavis scientia nobilior. Idque

ex eo contingere quòd intellectus superius agens ignorat & ea quæ inferiora sūt. Idem-
 que memor inferiorum, alio interiecto ab illo honorando ad hunc inferiorem mūdum delabitur. Intellectus verò superiorem rerum omnium opificem ignorat: quia cum perfectè non cognoscit, alioqui eodem superior esset, vt eius author: sicque effectus cum efficiente comparatus, ipse efficientis rationem obtineret. Quod in iis est quæ probari nullo modo possunt. Atque ille, vt antea propositum est, res inferiores dicitur ignorare: non quòd harum scientia omnino careat, quas in se continet: sed cum nostræ ignorantia causa in maxima imbecillitate sit posita, intellectus contra propter summā supremāq; perfectionem ignorare dicitur. **B** Quia res non secundum proprietatem essentia quæ in illis est, contemplatur: sed altiore quodam modo, quippe qui sit earum causa: res verò vnaquæque superiore modo in sua causa existat quàm in se ipsa. Primus etiā opifex nō eodem modo quo intellectus, sed altiore, res ipsas cognoscit. Nempe vt illas procreat, easdem quoque cognoscit. Quare hoc etiam nomine intellectus scientia, ignorantia quædam est. Quoniam ab illa quæ in Deo perfectissima, multis gradibus distinguitur. Ex quo antea dictum est, intellectum res subiectas ignorare. Eiusdem verò ignorantia, scientia quædā appellatur. Quoniam rerū eiusmodi consideratio, perfecta est: etiā si essentia non omnino respondeat. Neque harum scientia indiget: quia vt à sapiente dictum, earum causa est, omnes in se continens. Summus opifex omnia in intellectu conseruat, quæ certo ordine in animum eduxit, per medium intellectum: & in naturam, per animum: in mundum verò hunc, per vtrumque, donec ventum ad singula. Cum verò Deus intellectum procreauerit, hūcque rerum causa sit: consequuntione quadam efficitur, Deum rerum omnium esse opificem, nec earum scientia indigere. Quas si intellectus ignorat, eo certè ignorat, quòd illas ex nihilo primò non procreauit. Sicut & earundem Deus scientiam habet, quia illarum est opifex. Atque intellectus eas ignorare dicitur, quas in se ipsis non cognoscit: sicque in eodem essentia cognitio, quædam est ignorantia si cum Dei cognitione conferatur. Non enim cum se talem qualis est, cognoscit, omnino in ignoratione versatur: (qui enim hoc dici potest, cum ipse sit idem cum scientiis & iis rebus quæ sciuntur: & quem admodum antea dictum est, animum per hūc contempletur?) sed hoc tantum asserimus eius scientiam ignorantiam quandam esse, si ex rerum omnium opifice spectetur. Quo modo animum cum intellectu comparatus, id ignorat cuius causa est, alioqui primo rerum omnium opifice, vt superiore, non indi-

geret. Itaque reuocato sermone ad id quòd erat institutum, statuamus, animum ab hoc domicilio separatum, cum in coelum euolauerit, eorum memoriam amittere quæ prius cognouerat: maximè vero singulorum ipsos sensus mouentium & suapte natura caducorum: sed illum versari circa ea quæ ex sensibus sunt intellecta. Alioqui tales rerum imagines reciperet, quales antea quando cū corpore erat coniunctus. Quod omnino absurdum est. Siquidem in eo etiam cogitatio vigeret. Cogitatio autem, sicut antea diximus, sine visione non est. Si vero illic in animo rerum visiones vigerent, eadem esset eorum separatorum, quæ cū corporibus coniunctorum conditio. Quod admitti nullo modo potest. Tum enim tantum rerum species recipiunt per medium intellectum, cum quo vniuntur. Quare animum in mundo intelligibili per visa non discurrit: anteaque confirmat dum est eum ab illo delapsum memoria indigere sensilium, commutabilium & caducorum: & per inductionem declaratum quæ sit ratio ignorantia in illo, quando cum primo opifice comparatur, & cum iis rebus quarum ipse est causa.

CAPVT VIII.

Animum quomodo suis facultatibus distinguitur, aut simul cum corpore diuidatur.

C Nunc dicendum est quam ob causam in animum humanum diuisio cadat, & quid in eo diuisionē per se sequatur. Sed illud primum nosse oportet an animum diuisionem recipiat: atque vtrum per se, an aduentitia tantum vi. Nos verò constituemus, hunc cum corpore coniunctum, aduentitia vi diuidi. Quoniam quæ indiuidua sunt, cum diuidius coniuncta, aduentitia vi diuidua esse dicuntur. Diuisio autem secundum speciem appellatur, cum phantastica vis, quæ in agnum est, ab altrice, & concupiscibilis ab irascibili alia constituitur. Dicimus enim, vim eam quæ est imaginum, primò vna corporis parte contineri, alia concupiscibilem, alia etiam irascibilem. Quare animum aduentitia vi, non autem per se, simul cum corpore diuiditur: substantia verò nullam diuisionem recipit. Itēque quoniam animaduertimus, corpora quæ vita prædita sunt, animo indigere per omnes partes diffuso, vt animal ipsum toto corpore & quavis huius parte sentiat: hac etiam ratione animum diuiduum esse dicimus. Manifestum verò est quamlibet animalis partem sentire quamdiu animum sentientem continet. Quare verè etiam dicimus virtutem illam diuisis membris diuidi: & quamuis ea cum omnibus communicate, animum tamen in seipso non diuidi, sed in quolibet membro esse perfectum. Si quis verò asserat animum quidem secundum ta-

ctum diuiduū esse, at secundū alios sensus minimē; dicendum est, illum etiam diuiso tactu indiuiduum esse, sed hoc, sicut diximus, minū apparere. Consimili quoque ratione facultas altrix, eaque in qua inest vis appetēdi & fugiendi, per corpus totum diffusæ, minū inter se sunt diuisæ. Atque sunt hæ quidem cum sentiendi facultate coniunctæ; sed reliquis inferiores, & idcirco minū diuisæ. Siquidem minū in corpore distinctæ sunt: quoniam functiones suas non exercent per instrumenta sedibus distincta. Alioqui neque in toto corpore actiones suas ederent. Vires igitur animi quædam sunt propriis instrumentis in corpore differentes, aliæ toti corpori communes.

CAPVT IX.

Sensum communem cum spiritu animali coniunctum, re vnicum esse: diuersum tamen videri pro diuersitate partium corporis, in quas spiritus influit: quoque modo sensum sequantur aliæ animi operationes, quæ cum corpore minū videntur communicare.

VNica sentiendi virtus vnit omnium sensuum instrumenta, cum in ea per internuncios sensus proprios defluit, & horum obiecta percipit atque discernit. Illaque indiuidua est, neque tamen agit per vnicum instrumentum, propter magnam vim ipsius spiritus. Quare omnes sensus ad eandem terminantur, non aliter quàm lineæ à circuli ambitu ad centrum, eaque omnia in quæ ipsi sensus feruntur, simul & in temporis puncto cognoscit. Sensus enim qui proprius est, tantū discernit speciem obiecti, ad ipsam virtutem certam rationem habentis: vt Aspectus, candorem & nigrorem cæterosque colores: Auditus, sonum acutum leuem, grauem, & tardum: Odoratus, foetorem & odores reliquos: Gustatus, dulcedinem & alias saporum differentias: Tactus, asperitatem & lenitatem. Vis autem ipsius spiritus sensibus communis, discernit sensilia & species singulorum, eaque ad phantasticam facultatem, quæ imaginum est, refert. Hæc format eadē & pro arbitrio componit: deinde traducit ad memoriam: à qua illa ad vsum commodum conseruantur. Rursumque cogitandi vis ad aliam affectionē defert, donec ad intellectū perferantur. Hæque omnes virtutes spirituum sunt, atque per se functiones suas exercent sine instrumentis in corpore manifestis.

CAPVT X.

De facultatibus animi quæ enumeratæ sunt, queritur vtrum in corpore sedibus suis distinguantur: quoque modo animus totus in corpore esse dicatur.

Quærendum est an pro illis animi facultatibus quæ commemoratæ sunt, sedes

in corpore sint distinctæ. Nos quidem dicimus, virtutes animi in ea corporis parte cognosci, in qua earum operationes apparent: & de illis quasdam sedibus indigere, non vt in illis sint, sed potius vt actiones quas edunt, in eis ostendant tanquam in receptaculis accommodatis. Ipse verò animus suæ actioni corporis partem accommodat, eiusque virtutes diuisæ esse videntur tantū pro conditione membrorum variè affectorum. Quamquam hæc omnino diuersæ sunt, nec ex iis ille componitur, sed natura sua simplex est. Atque de eius virtutibus, quæ præstantiores sunt, hæ ab eadem sine vlla intermissione in corporis partes influunt. Ex quo efficitur, facultates esse animi, non instrumentorum: immò verò quanto nobiliores sunt, tanto magis animo potius quàm ipsis membris inesse videntur. Reuocata igitur oratione ad id quod primo loco fuerat institutum, dicimus, si nulla animi virtus propriam sedem habet, futurum vt eius vis interior ab exteriori nulla re prorsus distinguatur: neque partē corporis qua mouemur, diuersam fore à sentiente per insitam virtutē aliunde influentē. Quod omnino à ratione est alienum. Itēque ignorari erit necesse quibus instrumentis animi operationes sint insitæ. Si quis verò hoc respondeat, virtutes animi quasdam suas sedes habere in illis membris, in quibus earum operationes apparēt; rursus hoc opponemus, si ita cōstituatur fore, vt animus totus nobis non insit, sed eius pars aliqua extra nos maneat. Id verò probari nullo modo potest. Quare nudè hæc explicantes, asserimus nullam omnino animi partem in loco existere; siue animus ipse corpori insit, siue non insit. Quoniā locus ambit atque continet id cuius locus est; & quicquid loco cōtinetur, corpus est. At neque animus ipse, neque eius facultas vlla, corpus est. Cum verò dicimus eius quasdam vires certis membris inesse; non in illis tanquam in loco eas esse intelligimus; sed quia in eis illarum operationes apparent. Aliter enim se habet corpus ad locum, quàm animus ad ipsum corpus. Siquidem hic corpus continet, non autem corpore continetur, cum sit causa corporis. At si animus in corpore esset tanquā in loco, aliquando corpus sine animo existeret, hicque illud paulatim subiret, sicut aqua vasculum. Itēque locus nō est in corpore, sed ipsum ambit, cum sit eiusdem conceptaculum: estque amplior corpore, quandoquidem & illud continet. Corpus autem animum non ambit. Si verò fortasse quis arbitretur fieri nullo modo posse, vt animus in corpore sit aliter quàm vt in loco, contra opponemus locum superficiem esse extremam, corpus ipsum ambientem. Ex quo efficitur animum in extrema tantū corporis superficie futurum; reliquum verò corpus

animi expers. Quod rationi nullo modo est consentaneum. Amplius si animus sit in corpore tãquam in vase, corpus ipsi animo motum præstabit: quod à veritate omnino abhorret. Siquidem contra potius animus in corpore motus causa est. Atqui vas cum movetur, secum movet rem eam quam cõtinet. Corpore etiam intereunte animum oportet interire. Atqui ille à corpore separatus longè constantior & firmior efficitur. Si quis verò adhuc opponat locum non esse superficiem extremam, sed ipsum interuallum: eo minus erit probabile animum in corpore tãquam in loco existere. Quoniam interuallum inane quiddam est: corpus autem inane non est, sed in inani. Quare si eo modo in corpore tanquam in loco animus existeret; fateri esset necesse, quod absurdum est, eum in inani existere. Nihilo verò magis animus in corpore esse dicitur, ut affectio in subiecto: verbi gratia, color vel figura in corpore. Affectio enim à subiecto separata non ma-

nent in corrupta. Animus autem sine interitu à corpore separatus, eo etiam dissoluto, manet. Neque is interit corpore intereunte, quemadmodum pars simul cum toto dissolvitur. Quandoquidem ille corporis pars non est. Nec verò in corpore est, ut totum in parte. Quoniam omnino contra opinionem est, animum totum corpusque eius partem dicere. Neque ille in corpore est ut forma in materia prima. Quia forma sine interitu à materia prima separari non potest. Animum autem non esse eiusmodi ex eo intelligitur, quod sine interitu à corpore separatur. Et materia prima formam antecedit: corpus verò posterius est animo, qui formam cum materia coniungit, ex illisque corpus perficit. Itaque non est in corpore ut forma in materia prima. Nec ut agens in eo quod agitur, eique inhærens: alioqui etiam vicissim ab eodem afficeretur. Effectum est igitur animum nullo ex iis modis qui enumerati sunt, in corpore existere.



DE SECRETIORE PARTE

DIVINAE SAPIENTIAE, SECVNDVM

ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS LIBER III.

CAPVT I.

Animum neque corpus esse, neque corporis qualitatem: quoque modo idem se habeat ad humores, quibus à corpore omnino effluentibus, vita dissolvitur.



VM haftenus ea sint absoluta quæ antegressa esse oportuit de intellectu, de communi animo, de ratiocinante, sentiente, alente, nec non de naturis prout ordine quodam inter se constant, per ea signa quæ philosopho veritatem detegunt, alios autem ad eius investigationem excitant: sequitur ut eadem via atque ratione, animi essentiam explicemus, exordio ducto ab eorum opinione qui hunc existimauerunt vel corpus esse quoddam, vel certam compositionem corporis, partiumque in illo vnionem: utrosque redarguentes, & eas fallacias quæ in eorum rationibus latent, detegentes. In quo recensebimus ea omnia quæ de eiusmodi opinionibus ad nos petuenerunt. Hoc igitur primum asserimus, operationes quæ in corpore existunt, proficisci ab ipsa virtute miro quodam modo agente: non à corpore. Idque ex eo apparere, quod cum in omni corpore insint quantitas & qualitas, hæc tamē ab illa diuersa ex eo intelligatur, quod omne corpus quantitatis

C esse particeps necesse sit; (quod etiam illi confitentur;) qualitatis verò minimè. Porro qui fieri potest ut qualitas corpus sit & eadē in sensum non cadat, (præsertim cum omne corpus quantitati subiectum sit,) non omnis verò qualitas sensui? Cum itaque ex iis efficiatur nullam qualitatem corpus esse, manifestum est errare eos qui animum corpus esse dicunt. Quibus etiam adiicimus quod antea diximus, omne corpus de quo particula aliqua detrahitur, minui: qualitatem verò eandem remanere. Quoniam mellis libra vna cum altera quantitate mellis, dimidia, magnitudinem non habet parem, habet tamen parem dulcedinem. Si quis verò hoc nobis opponat, aucta quantitate virtutem augeri, eadēque imminuta hanc quoque minui: contra contendemus nonnunquam paruo corpori potentem virtutem inesse. Ex quo apparet qualitatem ipsam siue virtutem, quantitatem non esse, eiusque aliam rationē existere quàm vel corporis vel vnionis corpusculorum, quæ non nisi ad materiam corpusque pertinet: alioqui ne in ipsa quidem qualitate vis agendi esset posita. In contrarium verò si quis asserat, omnino exhausto sanguine atque spiritu animal interire, inquiratque cur si animi alia sit essentia à sanguine & spiritu, iis effluentibus animal extingui oporteat? respondebimus, etiam si humores animali vitam non tribuant, animal

mal tamen ad vitam humoribus indigere, hōsque ad animal eam rationem habere quā animus ad corpus. Eosdem igitur ab animo regi & ad corporis formam accommodari. Quoniam cū corpus dissolubile sit, nisi animus per humores repararet quod de illo effluit, diutius non posset consistere. Cōsumptis itaque elementis, quia perit materia ipsi animo ad corporis conseruationem necessaria, animal quoque interit. Quare in illis humoribus animalis materia est, animus autem causa efficiens. Hoc etiam ampliū ex eo intelligitur, quod animalia quædam carēt sanguine, nonnulla etiam respiratione: quibus tamen animi natura inest. Quoniam non potest animal vllum sine animo existere. Præterea si animus corpus esset, diffundi hic per vniuersum corpus nullo modo posset, nec eius partes vnire. Itēque si ille corpus esset commixtum atque temperatum ex elementis, re ipsa non esset, sed tantum potestate, sicut & elementa: idēque interiret quemadmodum & ea quæ miscentur, secundum substantiam intereunt, vt quando dulcedo cum amaritudine permiscetur. Ad hæc corpus quod cum altero permiscetur, illud ipsum maius efficit. Atqui animus cū in corpore est, eius quantitatem nullo modo adauget, sed illa eadem manet. In aliis manifestum quoque est cū pars corporea à corpore seiungitur, reliquū corpus imminui: at corpus à quo animus separatus est, in tumorem augetur. Ampliū cū corpus omne dissolubile sit, animus manet interitus & dissolutionis expers. Corpus igitur non est. Nec verò corpus vnum cum altero compositum hoc secundum omnem partem potest penetrare. Animus autem in omnes corporis partes permeat. Corpūsque quodlibet in infinitum diuiduum est: animus non item. Atque ex eorum sententia qui arbitrantur animum esse corpus, vt agentia omnia sint etiam corporea; quæri potest an quoduis agens ortus sui principium habere possit. Quod si concedimus, erit necesse de agentibus vnum ex alio esse ortum, sicque in infinitum progressio est futura. Quod cū absurdum sit, fateri necesse est in agentibus aliquod esse primum, idēque perpetuum: quare & incorporeum. Ex quibus efficitur non omnia agentia esse corporea. Si verò agentia quædam sunt, quæ neque ortus sui principium habuerint, neque finem sint habitura; in iis animos qui corpora informant, haberi est necesse. Enimvero alij animum esse corporeum ex eo opinati sunt, quod corporum actiones varias animaduertent, vt calfactionem, refrigerationem, eandēque varietatem in miris animi functionibus viderent: nescientes corpora vi sua non agere, sed per eam quæ alia à corporis proprietate, illis est insita: aut etiam si corpora vi sua agere dicantur, eo-

Tom. 4.

rum tamen actiones, quales sunt calfactio & refrigeratio, nequaquam esse similes animi actionibus: in quibus numerantur cogitatio, contemplatio, appetitio, obseruatio iustitiæ. Vis enim talium actionum effectrix, alia sit necesse à substantia corporea. Quare huius sententiæ autores eas actiones corporibus ascripserunt, quæ ad spiritus erant referendæ: ipsosque spiritus in nobis otiosos reliquerunt. Quibus hoc etiam adiiciamus, si animus corporeus sit hoc corpus permeas, percurreret partes infinitas, Hoc verò falsum esse ex eo intelligitur quod partes re ipsa infinitæ esse nullo modo possunt: aut si ille nō permeet omnes corporis partes, neque etiam per totum corpus diffundetur. Atqui per totum corpus diffunditur cum huius causa sit: hocque nomine illo etiam maior. Neque verò per illud diffunditur, singulas partes diuidendo, cum sit corporis expers: sed ratione quadam meliore. Nec minus absurdum est dicere animum spiritum esse naturalem, refrigerantem, qui nascatur ex coniunctione elementorum per partium attenuationem. Quoniam in multis animalibus dominatur elementaris calor, quibus inest animus sine eiusmodi spiritu refrigerante.

CAPVT II.

Quem ordinem in vniuersitate animus obtineat, quoque modo ad ea quæ superiora sunt & inferiora se habeat: quid Deus præstet causis omnibus quibus est superior.

SI qui dixerint naturam animo esse priorem, hūcque ex naturarum differentium permixtione exoriri, consequetur, quod sapientum sententiæ maximè aduersatur, nobilius ignobiliore esse posterius. Etenim in iis quæ procreata sunt, intellectus primus est: hunc sequitur animus, animūque natura: in quo ordine quod inferius est, idem quoque ignobilius: sicut quod superius, idem appetendum magis, quia nobilius atque communius. Si qui etiam affirmauerint intellectum animo esse posteriorem, eadem ratione fateri cogentur, summum rerum opificem non modò intellectu esse posteriorem, sed & ortui interituique obnoxium. Quod certè falsissimum est, neque talis rerum ordo constituendus. Alioqui neque animus existeret, neque intellectus, neque quicquam eorum quæ sunt. Quare dicimus, intellectum à Deo primum esse procreatum: hūcque rebus aliis procreandis esse præfectum. Procreauit autem intellectum Deus opifex per medium verbum. Quoniam inter illum & intellectum, medium aliud nullum intercessit, quod cum intellectu coefficienti vim haberet: Intellectus animi causa extitit,

BBB

animusque, ipsius naturæ. Natura denique principium rerum singularum que oriuntur: harum una ad alteram medij rationem obtinente. Deus vero causarum omnium author est: ut pote qui eas ex nihilo procreavit, intellectuque ut communi forma conclusit: quas postea pro temporis occasione educeret, aliquando per medium, secundum cuiusque conditionem & ordinem: nisi quod una est alterius interiecta causa. Deus igitur omnibus causis hoc præstat ut & sint & ex se res alias procreent. Tantumque in procreando hoc differunt, quod ipse alicuius causæ author est, sine vlla alia interiecta.

CAPVT III.

In ordine potestatis ad actum, colligitur, Deum esse, cuius ut potestas in actum suum educitur: ipse vero actus purissimus est, eoque inter omnia quæ sunt, solus perfectionem summam adeptus.

D eum esse, hæc demonstratio inter omnes maximè videtur efficere. Quod nihil in potestate sit quin aliud antecedit quod actu existat. Alioqui ne ipsa quidem potestas in actum suum educeretur: cum illa aliud non sit quam ad actum quædam facultas: nec possit sua vi in actum exire. Non enim rationi cõsentaneum est aliud à se ipso, ut ab agente, existere: præsertim cum agens omne ea re prius habeatur quam sua vi efficit, falsumque sit idem se ipso in vna eademque ratione, prius esse ac posterius. Itaque si potestas in actum educitur, necesse est actum quædam purum existere: quod hic nihil habere possit à quo in actum exciteretur. Eiusmodi vero est Ens necessarium perpetuum, quod in aliam substantiam abire nullo modo potest, neque imminui, neque vllis affectionibus commutari. A quo actiones omnes manant, & cuius nutu potestas omnis in actum excitatur. Ipsum quoque incommutabile: quoniam ab alio procreari non potuit. Id vero illi accidit quia suapte natura in actu perpetuo est, eodemque necessario. Imo id ipsum est quod verè est, vel potius supra id quod est. Atque idcirco ratio eorum quæ sunt, ab illo pendet, in eodemque conseruatur & ad illud reuocatur. Adeo ut ne cogitatione quidem fingi possit hoc in aliqua potestate existere: alioqui altero indigeret, cuius vi in actum excitaretur. Contra vero omnia quæ ab illo diuersa sunt, prius in potestate esse intelliguntur quam in actu. Quoniam priuatio antecedit id quod est: sicut & potestas necessitatem. Minui autem nullo modo potest, quia ens est numeris omnibus absolutum: nec ei cum rebus aliis vlla naturæ communitio intercedit. Ens est prius quolibet proximo, cum sit omnium opifex & moderator. Est etiam ens necessarium: si quidem eo ipso describitur. Cognoscit omnia præterita,

A præsentia, atque futura sub vna ratione, immotus. Quoniam hæc omnia cognoscit ut eorundem opifex: ab aliis autem cognoscuntur ut ab eisdem videntur. Atque se ipsum contemplans, non externum quiddam, alia de potestate in actum excitat, semper tamen commutationis expertus. Quoniam actus summus est, idemque purissimus. Quod autem ab illo procreatum est, non quiescit. Quia interire potest, & ad priorem potestatem reuocari. Idque, quoniam aliquando ortum est, ea conditione teneri est necesse. Quod vero actu est, nobilior est eo quod in potestate spectatur. Actu enim est, cum antea esset potestate. Quodque potestate est, verè non est, etsi communitate entis appellatione nonnumquam esse dicatur. Effectum itaque est actum potestate esse meliorem atque communiorum, eundemque à natura corporea hoc ipso differre, quod in aliam mutari nullo modo potest. Itemque intellectum sicut & animum, naturam esse priorem. Quoniam in ipsa natura, tam intellectus quam animi effectus quidam elucet.

CAPVT IV.

Formarum in vniuersitate ordo explicatur. De quibus quædam cum materia coniunctæ sunt, alia ab ea separata. Deinde ostenditur quomodo illæ omnes suis gradibus ad Deum referantur, ab eodemque in agendo differant.

P ræter hæc, cognoscendum quoque est, animum actu existere ab intellectu profectum: ipsumque etiam intellectum actu esse, ut à primo principio est procreatus. Hic vero animo formam dat atque virtutem quam à primo principio recipit: illo scilicet huic inferente vniuersitatem rerum earum quæ produci possunt. Porro animus agit tantum circa materiam primam per mediam naturam cælestem, quæ honore digna est: Intellectus autem circa animum, sine medio. At idem circa ipsam naturam agit per medium animum. Animus enim causa est formæ in materia prima, sicut ipse intellectus, formæ in animo. Omnes vero formæ à summo principio in intellectu sunt **D** congestæ, eidemque insitæ, atque cum illo procreatæ. Amplius, intellectus formas in animo conseruat & animus easdem in materia prima. Harum enim tum intellectus tum animus causa est. Supremus autem eorum author Ens est, Bonum absolutum verumque. Qui rebus ipsis dat ut sint, harum formas innouans, & quoniam omnino actu est, omnia secundum essentiam procreans: quædam tamen nulla alia media causa interueniente, alia per aliquam intermediam. Utque actus verus est & absolutus, omnia secundum essentiam suam contemplatur & in puncto perficit. Intellectus autem cum actu sit, habeatque

superiorem actum alium; ab hoc excipit vim immiffam : ideó que in suo opere permanet, vt similis efficiatur agenti : qui actus est abfolutus, id est, vera effentia. Idémque aliquid contemplans, superiorem illum actum inuuetur, perfectámque actionē edit : quia agit per vim ab illo immiffam, quasi in hoc ille ipse agat. Nec dissimili ratione animus, quia ad agendum vim quandam ab intellectu profectam recipit, illum imitatur, in quem intētus agit, per eundémque in res alias influit. Est enim verum agens, actus abfolutus, effentia ac sapientia perfectissima : illúque se ipsum contemplans agit. Quia aliud ab illo nihil est, quo non ab eodem acceperit sui ortus principium. Hoc solum per se est, omniáque procreat, procreata regit, atque conseruat ea quæ suapte natura sunt constantia : eadémque à se mouet & ad se reuocat. Hactenus igitur probatum est intellectum animo esse priorem, animúmque ipsa natura. Hanc verò priorē rebus omnibus quæ oriuntur & intereunt. Denique omnium opificem priorem esse omnibus, & cuiuslibet agentis actionisq; principium. Qui primo procreat, tandem perficit : in eodem tamen puncto inchoat, confirmat, absoluit. Procreauitq; vniuersa nulla alia causa excitante vel præcipiente. Cúmque cætera agentia operando ad aliud se referant, consequens est hunc solum veri agentis rationem obtinere.

CAP. V.

Animus quomodo actu sit, & tamen aliqua ex parte potestatis etiam particeps : quoque à corporis compositione & harmonia differat, contra nonnullos Pythagoreos.

NVnc ad institutum reuersi constitui-
mus animum, quoniam actu est, potestate non esse : nisi id in hanc partem dictum cogitatione complectimur : quòd ille, vt antea propositum est, procreatus sit, omniáque procreata aliquid actus habeant & potestatis : quòdque in iis Ens actu quadam ex parte imminutum sit : Deus verò ipse principium rei quæ ex potestate in suum actum potest excitari. Neque tamen intellectus vel animus in potestate & actu esse dicuntur, quòd in tempore procreentur, eorúmque vnum alteri succedat, sicut in iis corporibus accidit quæ possunt oriri & interire, quoniã illa permanent sempiternaque sunt. Quæ etiam ratione efficitur, animum nec spiritum esse, nec corpus vllum, quemadmodum etiã superioribus rationibus est confirmatú. De quo quamquam contraria sit nonnullorum opinio, in illis tamen quæ nuper à nobis scripta sunt, acquiescamus. Si quis verò amplius dixerit animum esse aliquid præter naturam corporum, hoc iam quale sit exploremus, &

Tom. 4.

quæ sit eiusmodi corporis compositio, qua nonnulli in describenda animi natura sunt vsi. Quidam Pythagorei existimauerunt compositionem hanc citharæ esse similem : quòd quemadmodum si huius chordæ apte & secundum rationem intendantur, concentum excitant citharædo pulsante : sic humoribus conuenienter inter se temperatis, exoriatur totius corporis perfecta constitutio, per quã animi natura explicatur. Quorum ratio ea continet quæ fieri nullo modo possunt. In hac verò quanquã quæ pro argumentis afferuntur, firma appareant atque euidentia; ea tamē hic rationibus explicari possunt atque abundè redargui. Etenim animus, (quod etiã illi admittebant,) prior est corporis compositione : si quidē hanc ipse sibi accommodauit. Atque idem corpori imperat, in multisque eam ad agendum propensionem reprimat quæ ex corpore enascitur. Atqui ipsa compositio neque corpori imperare potest, neq; propensionem ad agendum ex illo profectam impedire. Et animus substantia est : cõpositio verò minimè : sed hæc humoribus inter se temperatis accidit. Itémque ad corporis compositionē optimam necessario cõsequuntur sanitas & indolentia : hæc verò non est necesse cum optima constitutione animi cõsistere. Porto si animus ipse compositio esset, vt partiũ variarum variæ cõpositiones sunt, ita esset necesse in eodē corpore varios animos existere. Quod valde absurdum est. Amplius si animus esset corporis cõpositio, quoniã partiũ in corpore conformatio ab animo est, hic à se ipso existeret. At partes non à se ipsis sed ab alio priore conformationē capiunt : quæ admodum neque chordarũ compositio, quã concētus sequitur, ab ipsis chordis est, sed à musico. Quod in illis ignobilioris naturæ est argumentũ. Consimili etiã ratione si animus est corporis compositio, cum hæc à corpore initium habeat, efficietur animũ non ab animo, sed ab alio initium accipere, & interea quæ sunt pro sola comparationis varietate alia aliis priora existere. At forma non sine animo formatore producitur. Alioqui fortuito existeret. Quod neque in singulis rebus, neque in vniuersis fieri vlllo modo potest. Ex quibus efficitur animum à corporis compositione esse diuersum.

CAPVT VI.

Vt intelligatur quomodo animus ad corpus se habeat, assumitur eius definitio ex 1. c. lib. 2. de Animo : cuius partes singule explicantur.

SI quis verò hoc obiiciat, veteres philosophos vno consensu probauisse animum actum esse corporis naturalis instrumentis præditi, actúmque substantiam esse non posse, quia huic inhæret, atque ex hoc effici

BBB ij

arbitretur animum substantiam non esse: exactius nobis erit huius rationis vis expendenda. Actum hunc quidam Attici alio nomine Entelechiam appellauerunt: iidemque philosophi affirmarunt animum ad corpus certam rationem obtinere, nempe eam quam habet forma apud materiam quæ corporis naturam suscepit. Nisi quod animus, absolute corporis forma non est, sed eius quod naturale dicitur, instrumentisque præditum est, & vitæ potestatem habet. Atqui antea confirmauimus, actum corporis, substantiam esse, non accidens. Distinguendi verò gratia additum (corporis naturalis) vt ad eo separatur quod arte constat: quale est quod pingitur. Itémque, potestatem vitæ habentis, vt ab inanimis distinguatur: qualia sunt lapis, ferrum, quæque sunt eiusmodi. Hæc enim quamquam naturalia corpora sint, vitæ tamen potestatem non habent. Præditum etiam instrumentis iis dicitur quæ pertinet ad obeunda munera vitæ: qualia sunt Cerebrum, Cor & Iecur: quæ in principibus partibus habentur. Actus autem duplex est. Quidam qui separari potest ab eo cuius actus est, vt nauta à naue, eques ab equo: alius qui separari non potest, vt calor ab igne, frigus à niue. De quibus is qui separari potest, intereunte subiecto non interit: alius verò simul cum subiecto perit. Animus igitur, corporis naturalis actus est, qui separari potest. Non enim hic corpore intereunte interit, sicut est declaratum. Rursus actus quidam perfectio est materiæ eius per quam in rerum natura existit, vt caliditas, ignis: alius in altero perfectionis est principium & causa, quomodo architectus ipsius domus actus est. Animusque actus est corporis naturalis, non quod eius sit perfectio quædam quiescens, sed quia in eo perfectionis est causa: nempe sensus, intelligentiæ, phantasiæ, & cæterorum quæ sunt eiusmodi. Corpus enim prius quàm anime-tur, imperfectum est, neque tamen animus corporea quædam est perfectio: alioqui simul cum corpore diuideretur: quemadmodum figura statuæ, simul cum statua.

CAPVT VII.


Animum humanum ostendit actum esse siue perfectionem à corpore separabilem: quia in multis cum corpore non communicat. Et quomodo is se habeat ad rerum omnium intelligibilibus formas.

Nequè verò animus vnus partis perfectio est, vt aspectus oculi: quia in ipsis partibus id agit in quo posita est singularum perfectio: nec perfectione hac pereunte animum interire est necesse. Sed actus est qui separari potest ab eo cui inest. Neque verò mortalis est, quoniam operationes habet non communicantes cum instrumentis corporeis, imò

A plerumque his aduersantes, quales in rectis moribus apparent: & sine vlllo medio interiecto omnes eiusdem corporis partes discernit. Idem quoque, puras res corporis expertes contemplans, actiones edit in quibus nullis instrumentis indiget. Itaque salua manet huius essentia dissoluto corpore: alioqui actiones haberet sua essentia nobiliores. Quod absurdum esse ex eo intelligitur quod essentia causa actionis est: effectus verò causa efficiente melior esse non potest. Alioqui si vt ille naturalis formæ rationem habet, separari non potest, quo modo in somno sine distractione à corpore, excitatur ad suscipienda vaticinia, reiúmque futurarum prænotionem? Quod etiam nonnumquam inter vigilandum accidit, cum ille semotis iis affectionibus quæ ad materiam pertinent, ad se reuertitur. Sed hoc noctu multo magis apparet, propter sensuum quietem, functionumque in illis intermissionem. Præterea si animus perfectio esset corporis, hoc ipso quod corpus est, ille numquam corpus contra naturæ suæ impetum moueret: nec rerum vllam cognitionem haberet. Qui quamuis sensilia discernat, non tamen idcirco sensibus similis efficitur: si quidè etiam dissimilia cognoscit, atque ex naturæ ordine sensus ipsis eorum quæ obiciuntur, imagines recipiunt, per has verò animus res ipsas discernit. Nec ea cõtemplaretur quæ corporis expertia sunt, si forma esset corpori addicta: nec si naturalis esset perfectio, per appetitionem ad contraria moueret. Porro si animus vt sit, corpore indiget, vicissimque corpus animo, propter quædam communionem qualis inter partem partisque facultatem intercedit; horum vnum alteri non aduersabitur. At in multis obseruatum est, animum rerum variarum scientia exornatum & supra corporeas appetitiones excitatum, corpori esse aduersatum. Quamquam idè optimis moribus instructus hos cum corpore communicat: quibus domicilium suum perficiens, hoc omni damno liberat, consequiturque vt nec ipsum deprauetur, nec ipsius animi parenti odiosum sit. Qua etiam ratione hic corporis perfectio esse dicitur. Adde quod virtus corporis ab anno ætatis quadagesimo minuitur: animi verò vis adhuc augetur. Neque ille hominis perfectio naturalis dici potest: sicut is qui belluis inest: quoniam belluæ solo naturæ impetu sine vlla scientia, reguntur: homines non itè. Alioqui hi in disciplinas non incuberent. Atqui doctrina instituti & exculi ab animo diriguntur, qui prius quidem erat informis, sed tamè eiusmodi vt doctrina posset informari. Amplius si esset hominis perfectio sicut animus belluæ, non posset homo ab altera substantia gubernari: neque ei pateret: nihilque magis quàm ipsæ belluæ formas eas inquireret quæ à corpore sunt separata, aut in harum contèplationem incuberet.

Porro vt aër recepturus omnes colorum differentias, illis suapte natura caret; (non enim si certo colore esset imbutus, alios posset recipere;) itémque aqua atque etiam oculus si certum colorem haberet, alios non posset perspicere; quod de auditu, odoratu reliquisque sensibus eodem modo iudicandum: sic animus humanus cum omnes rerum corporatarum formas recipere possit & discernere, vna ex illis esse nullo modo potest. Neq; verò hic rerum corporatarum formas sub ratione communi atque confusa cognoscit, vt is qui belluis inest, sed speciatim discernit distinctéque comprehendit secundum rationem cuique propriam, vt colorem & odorem. Quare abundè satis probatum est, animum humanum non esse naturalem formam, qualis est qui in belluis: eoque potissimum nomine: quod si eiusmodi sit, eundem corpori obsequi erit necesse: nec vlla in parte huius aut propensionibus quas ipsa contagio parit, poterit aduersari: nec illi impera-

A re. Adde quòd si corpori vlla fieret impressio, huic similem aliquam in animo gigni oporteret: nec ipse homo quicquam haberet sensu nobilius. Quandoquidem actus cum corpore coniuncti conditio, sensum non superat, neque vis cogitandi aut deliberandi quæ in eo est posita, vt incognitum ex præcognito colligatur, corpori est addicta. Quod cum animaduertent hi qui opinati sunt animum esse corporeum, fateri sunt coacti, ab eo alium quendam esse, aliúmque intellectum immortalem: huncque actum esse, non vt perfectionem corporis naturalis patibilis, sed vt causam effectricem perfectionis. Qui animus vnus sit idémque receptus, dicatur actus corporis naturalis instrumentis præditi & potestate vitam habentis. Nos autem statuimus non esse animum alterum qui hominem regat, superiorem eo in quo rationis est principium. Quem physici actum appellant, quia naturale corpus perficit.



DE SECRETIORE PARTE

DIVINAE SAPIENTIAE, SECVNDVM
ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS LIBER IV.

CAPVT I.

Ostendit quomodo philosopho à corporeis ad ea ascendendum sit qua corporis sunt expertia. In iis verò obiter indicat qua dignitas intelligibilis mundi, & qua ratione hic se habeat ad reliqua qua natura vniuersitate continentur.



Vi superato corpore sensus composuit, motusque cum materia coniunctos, atque phantasia puriore facta, reuersus est ad substantiam intellectus, hic agnoscet dignitatem suam: quæ consistit in confirmatis viribus ad contemplandum mundum intelligibilem, pro huius excellentia ideaque suprema, quæ lumen est luminum reliquorum, bonum bonorum, dignitas dignitatum, atque essentia eorum quæ sunt, vel potius id ipsum quod est: extra quod nihil omnino est. Quòdque sui ipsius desiderio fruitur, atque principium est cuius vi omnia sunt & constant: Idemque appetendum, ad quod omnia quæ appetunt, sua sponte feruntur, naturæ quadam proprietate, quæ consistit in forma per alterius imitationem expressa. Per illum verò motum eadem existunt: quemadmodum per impressionem essentia in alio receptam procreantur. Iam enim alio loco à nobis probatum est substantiam naturalem per naturam propriam

Cexistere: huiusque confirmationem in forma esse positam, formæ verò vim in exemplaris causæ imitatione. Quare omnia illud appetunt, appetendo ad idem mouentur: mota ab illo procreantur. Illud verò moueri nullo modo potest, mouet tamen omnia, eo motu cuius vi eadem existunt: donec perueniant ad motorem vnum, quo superior nullus est alius. Ex quo etiam hic primus opifex omnibus est principium essentia atque constantia: sine quo nihil in rerum natura consistit.

CAPVT II.

De duplicis formæ vi in natura principiis dictum est, nunc de materia prima queritur, quomodo hac cogitatione fingatur omnis formæ expertia, & ad formam moueatur, hancque appetat.

Contra verò fortasse quispiam hac ratione contendet, & substantia in quam omnis naturalis forma dissoluitur, motum eiusmodi proprium inesse non posse: quod motus à quadam appetitione proficiscatur: illi autem appetitio nulla insit. Quæ si moueri non potest, profectò neque secundum essentiam procreata dicetur: sed id potius quod cōcretum est. Illa autem causa erit omnis motus. Nos verò respondeamus, eum qui ita sentiat, in magno errore versari. Quonia quod in simplicibus ita primum est, vt in id omnia alia

dissoluantur, nunquam omnis formæ expers esse potest, (alioquî sine forma aliquid in rerum natura existeret,) sed in eo vni formæ pereunti altera succedit: ideoque vicissim formas recipiendo, illud à primo opifice gignitur. Quare à sapientibus dictum est, materiam primam moueri eo motu qui in recipienda forma consistit: & ab eadem formam appeti vt perfectionem ab eo quod imperfectum est. Quo etiam modo oculus aspectum appetit, & fœmina mare. Itaque illa mouetur eo motu quem formæ appetitio excitat. Quæ naturæ propensio ad formas recipiendas, ratio est per quam eadem in iis quæ sunt, habetur. Quæ si tollitur, illa neque erit, neque intelligetur. Si quis verò ipsius subiecti dissolutionem fieri dicat in affectionem aliam simpliciore, talis erit huius oratio qualis eorum qui in causis mouentibus descensum ponunt in infinitum. Igitur materia prima in rerum natura existit per motum, qui actus est perfectus. Cogitatione verò comprehenditur secundum infinitam mutationis vicissitudinem ab vna forma in aliam: nec nisi cum receptione formæ rationem principij obtinet. Cuius significatio quædam apparet in solidis, quæ ad quamcumque rem obiectam figuram mutant. Effectum itaque est, omnis alterius substantiæ efficientem causam, in essentia, existentia atque constantia agentis primi esse positam: hoc verò esse primum mouens omnibus commune. Itémque id omne quod secundum naturam ad motum comparatum est, ad hoc moueri: & quod per motum extitit, id omne quoque motu conseruari. Quoniam motus est actus rei in potestate existentis, id est, perfectio & quædam ad actum progressio.

CAPVT III.

Dictum capitibus superioribus de duobus vniuersa nature principijs, accommodatè ad Platonis mentem, nempe de forma exemplari, & de materia prima: sequitur de Deo, qui in eiusdem Platonis doctrina rationem habet tertij principij vt causa prima efficientis.

Primus opifex, autor est vniuersi, atque hoc ipsum ille infinitate quadam immotus antecedit. Nec enim aliquando incœpit, cum antea non esset: sed finis est atque principium omnium eorum quæ sunt. Priórque iis secundum omnem rationem quam efficiens ad id quod efficitur, obtinet: nempe cuius vi res efficitur atque conseruatur. Neque verò dicimus tempore priorem: alioqui permultis rebus quæ sunt, eundem diceremus ignobiliorum. Non enim vnum altero tempore prius esse dicitur, nisi quia eorum vtrumque tempore continetur. Hoc autem de primo opifice dici nullo modo potest, quippe qui causa sit omnium: imò neque de

A substâtiis simplicibus: quanto minus de Deo summo? Tempus enim secundum naturam inferius est animo & intellectu, aliisque substantiis simplicibus, in quibus huius est causa. Etenim si vniuersi aliquod principium fuisse dicatur & ante hoc extitisse tempus aliquod infinitum, quo antegresso tandem mundus extare cœperit: ex eo erit cōsequens Deum in rebus procreandis socium aliquem habuisse, à quo ad procreationem mundi sit excitatus. Nefas verò est hoc ipsi Deo attribuere. Eademque ratione si infinito illo tempore antecedente, mundum non extitisse fateamur, fuisse oportebit causam aliquam superiorem quæ eius procreationem impediuerit. Quod de Deo eo absurdus est quod is intellectu animoque est præstantior. Cuius si excellentiam atque magnitudinem conemur oratione explicare, vel cogitatione cōplecti, eam vix poterimus attingere. Essentiæ enim dignitate superat cætera omnia, quæ sunt quasi signa per aliorum imitationem expressa, de illisque pendentia. De quibus per essentiam primū intellectum procreauit, sub eoque animum & singula quæ oriri possunt. Quare humana facultas, quæ infirma est, neque hunc cogitatione complecti potest, neque eorum quæ illi attribuuntur, quicquam perfectè cognoscere.

CAP. IV.

C *Intelligibilem mundum ab hoc quem incolimus, ita distinguit, vt in eorum comparatione ex Platoniorum doctrina satis apertè ostendat quæ sit idearum dignitas supra res singulas, quarum sunt imagines.*

Nos modò pro nostra facultate narratione nuda atque simplici, intellectus dignitatem, mūdi intelligibilis nobilitatem, explicemus, quæque conditione ascendendum sit ad huius essentiam contemplandam. Illum similem esse dicimus puncto quod in circulo continet quicquid angulorum est, laterum, linearum & extremitatum, omniumque eorū quæ cogitari tum in ipso circulo, tum in reliquis figuris possunt. Hoc diuisionis omnis & dimensionis est expers, omnesque lineæ circuli ab eo profectæ, ad idem reuertuntur. Ideoque centrum vocatur. Circulus quoque dicitur qui omnes illas lineas ab interiore puncto ortas, ambitu suo complectitur, easdem conseruans, vt insitas mundo figuras, quæ in partes varias duci possunt. Quando verò intellectum similem esse dicimus interiori puncto in circulo alias formas cōplectenti, ex eo cognoscitur nostrā de illo scientiā ab eodē proficisci, ac in ipso ortu in nos influere. Cūq; idē indiuiduus appellatur, eo ipso significatur illi suā essentiā non sufficere ad res alias cognoscendas: quandoquidem cum nostro animo coniungitur. Neque

tamen idcirco à substantiis inferiorib. commutationem vllam accipere potest, sed eius scientia à primo vero agente proficiscitur: atque ei animo qui singulis hominibus proprius, ipsa imago minimum signum est ad illius in se reuerſi naturam explicandam, vel cogitatione complectendam. Alioqui communis non esset. Neque apud nos quicquam est, quod cum rationibus illi insitis conueniat, aut eius naturam exprimat. Quare nec de eo iudicare possumus, nec vllum exemplum quod quidem par sit, nobis subiicere ad eiusdem perspicientiam. Qualis igitur in nobis esse potest contemplatio primi opificis qui ipsa est rerum omnium essentia, pura, abundans luce, honore, dignitate & cuius mundus est omnium nobilissimus? Nos itaque intellectus elogia mundi que intelligibilis dignitatem pro ingenij nostri imbecillitate tantum explicabimus: primo loco eam rationem commemorantes qua in eius contemplationem excitamur. Duplex mundus ita se habet, vt is qui solo intellectu percipitur, altero in sensum cadente superior sit. Quoniam ille huius causa est, & in eundem sua virtute influit. Quibus similitudine quadam respondent lapides duo: de quibus vnus summa arte exculptus est, alter rudis & informis. In ijs enim vnus altero perfectior non eo ipso quo lapis est (vterque enim lapis dicitur) sed qui ea forma ornatus cuius artificium non inerat materiae: sed artificis mente prius comprehendebatur quam in lapide efformaretur. Artificium autem inest statuario, non quia oculatus est, aut pedibus manibusve præditus: sed quia statuarius artis suae peritus est, per quam iudicat quid faciendum. Eidemque formae communes insunt: ipse verò formas singulas effingit, hasque pulchras reddit. Quae essentiam habent vnicam, sed per materiam plures existunt intereuntque, communibus formis minimè intereuntibus. Quare ipsa ars in artifice nobilior est quam in opere: neque forma secundum essentiam eadem in artifice est quae post ea in lapide: sed illa constans permanet, ab eaque artificis industria, alia in materiam influit, quae alterius pulchritudinem assequuta non est, neque pro conatu artificis absoluta, sed pro materiae capacitate: quae in nonnullis magis, in aliis minùs ad illius imitationem est comparata. Forma quoque in materia singularis est nec separari potest: & si ab vno subjecto in aliud transferretur, eo ipso multo magis minueretur. Haec igitur in pauca contrahamus. Omne agens nobilior est subjecto: quia hoc superatur, illud superat: & quodlibet exemplar imagine sua est melius. Quoniam singulae formae quae in bonis sunt, ab vniuersalibus prioribus atque superioribus proficiscuntur. Haec quidem quae arte constant, ab ea quae est in animo artificis: quae

etiam melior est altera quae in marmore effingitur. Enimvero ars ipsa ad intellectum pertinet: quia perpetua est eademque permanet. In eoque naturam imitatur quae necessitate quadam sui similis permanet: quia alterum superiorem intellectum imitatur. Neque verò artifex in opere suo efficiendo id solum imitatur quod arte elaboratum est, sed ad superiora ascendens, à natura exemplar repetit, cuius imitatione opus suum reddit pulchrius. Atque si fortè in naturali forma quam imitatur, imperfectum quiddam sit, id ipsum perficit per imitationem eius quam intellectu comprehendit: pro vt tamen subjecta materia ad illam imitationem suscipiendam est præparata. Exempli gratia, si artifex, Iouis formam vult exprimere, non intuetur figuram aliquam in sensum cadentem, sed cogitatione ad superiora excitatus, illum depingit specie omnium pulcherrima. Vt si Iupiter ipse sub corporea forma spectandum se præbere velit, non possit vllam aliam perfectiorem induere,

CAPVT V.

Natura & artis pulchritudo in suis imaginibus explicatur: hinc transitus fit ad pulchritudinem animorum, qua paucis est cognita.

Explicandum hoc loco nobis est quomodo ars atque natura pulchras rerum formas exprimant supra facultatem potentemque materiae. Primum autem animalium pulchritudo sita non est in sanguine: quoniam hic in singulis quae eadem specie proxima continentur, similis est & vniuersalis, sic vt ipso aspectu deprehendi potest. Neque tamè illa omnia ex æquo pulchra sunt, neque in quibusuis animalium formis sanguis eandem rationem feruat. Siquidem in illis quaedam sanguinea sunt, alia sanguinis expertia. Qui fit igitur vt omnibus pulchritudo quaedam insit, cum tamen non omnia ex æquo sint sanguinea? Itemque pulchritudo versatur in colore atque figura, prout hæc sua moderatione oblectant. Sanguis autem (qui quia simplex est, in animalibus materiae rationem habet) nec vllam figuram informat neque oblectat. Non est igitur in eo ratio pulchritudinis vlla. Qui verò luce ipsius boni illustratus, nouit mulieris pulchritudinem occasionem dedisse belli maximi atque diuturni inter Græcos horumque hostes, & de hominibus eos formosos esse quorum aspectu oculus nunquam satiatur; idem etiam tandem aliquando cognoscit, quibus constet earum rerum pulchritudo quae sola intelligentia percipiuntur. Fieri quidem fortasse potest vt in aspectum cadat humana aliqua forma, in qua nihil reprehendi possit, aut cuius præstantiam nemo oratione consequatur: quaeque ab aliquo in subjectum agente profecta sit, quae

admodum eorum quæ arte constant, forma ab artifice. Sed quanquam in iisdem ea bona sit quæ arte inducitur, melior tamen est naturalis, quæ materiam primam subjectam habet: hacque rursus præstantior altera, quæ in virtute agentis consistit. Quoniã huic primæ nulla materia est subjecta. Pulchritudinem autem à subjecto non emanare, ex eo apparet, quod alioqui eam pro subjecti maiore quantitate maiorem quoque oporteret existere. Atqui animaduertimus, in paruo corpore formam non minùs aut etiam magis oblectare quàm quæ magno corpori inest. Quare non ipsius pulchritudinis ratio, sed fundamētum in corpore est positum. Idque ex eo intelligitur quod sine corpore pulchritudo non potest percipi: sed hæc cum illo ad interiora delata cognoscitur. Defertur autem ac permeat beneficio aspectus: qui cum, vt antea probatum est, solam formam contempletur, pulchritudo in animo tantum consistit, huiusque perceptionem subjecti quantitas non impedit: sed hæc dum illius comes est, simul quoque cum illa cognoscitur. Porro agens ipsum aut nobile est, aut ignobile, aut inter hæc medium. Atque si medium est, illorum alterum procreare non potest. Non enim hoc magis quàm illud potest efficere. Si verò pulchrum extiterit, pulchrum quoque erit quod ab illo proficiscetur: sique naturæ opus pulchrum sit, intellectû illo pulchriorem esse oportet. Sed nobis occulta est naturæ pulchritudo: quoniã de vnoquoque corpore ea tantum videmus quæ externa sunt, pulchritudinem admirantes quæ in extremitate apparet, interiora verò minimè. Quare si ad interioram formam aspiramus, externa vilescit. Quia quæ interiora sunt, ea intellectum natura sua præstantem mouent, non aliter quàm imago eum qui hanc intuetur, ad artificis absentis cognitionem excitat. Itaque cum ea quæ in corporibus interiora sunt, intellectum moueant; efficitur profectò eam pulchritudinem quæ illis inest, à natura & intellectu esse profectã. Variæ etiam formæ à corporibus separatæ sua pulchritudine exornatæ sunt: quales Mathematicæ figuræ lineis descriptæ, mulierumque imagines quæ in speculis apparent, ac notiones animi quæ certè manifestam pulchritudinem habent: præsertim, cum ipsius animi indices sint, ac eiusdem similitudinem quandam referant. Amplius si hominis in moribus recti externam formam tantum intuearis, eius pulchritudinem non deprehendes. Erraueris tamen si illum deformem existimaueris. At si in eodem quæ interna sunt, perspicias meritò formosum dices. Quoniã vera forma subest atque interior est. Multi quidem ignoratione capti intellectuque in corpus demersi, externam pulchritudinem appetunt, atque idcirco interioram non asse-

quantur. Ex quo accidit vt reconditam sapientiam non inquirant, propter cõtemplationis subtilitatem, qualem nos hoc libro sumus complexi, quem de philosophia secretiore inscripsimus: quod ea vulgaribus committenda non sit, nec hi suo ingenio possint illam attingere. Si quis vero etiam in corporibus pulchritudinem inueniri contendat, hanc naturæ esse dicemus: sed illa alteram longè meliorem quæ ad animum pertinet: vt pote à qua naturæ pulchritudo proficiscatur.

CAPVT VI.

Nunc inquirat quomodo animus sua pulchritudine exornetur, quoque modo idem hanc & huius authorem cognoscat. Ex quibus nos ad intellectum diuinumque spiritus conatur deducere.

Pulchritudo ea quæ animo est propria, in viro probò deprehēdetur, si auersus à qualitatibus cum materia conjunctis, se ipse honestis actionibus exornauerit. Tum enim lux prima lumen suum in illum effundit, eodemque huius animum illustrat. Cuius beneficio ille suam pulchritudinem huiusque authorem agnoscet. Neque ad hanc cognitionem alia scientia indiget, sed illa per intellectum percipitur. Ipsa verò lux prima animo non inest, sed in sua essentia consistit: ob eamque causam circumscriptis omnibus attributis, per medium intellectum in animum influit. Aliter autem reliqua agunt per attributa inhærentia, non per ipsam essentiam. Etenim agens primarium non agit vi attributorum quæ ad id huic non insunt, neque in eo ullam numeri distinctionem recipiunt: sed agit per essentiam: atque idcirco primarium agens existit, causaque est pulchritudinis primariæ quæ intellectui & animo inest, idemque vnicum omnino est, nec multiplicari villo modo potest: sic vt nec commutari. Nec ab alio quicquam accipit, nihil verò aliorum esse potest quod ab hoc non aliquid recipiat. Agentia quoque omnia cum altero conjuncta, in forma operantur: sed illud primarium sine subjecto agit per solam virtutem essentiæ. Ideoque intellectus æternus appellatur, nec tempore concluditur. Quoniam illi nulla rationis inuestigatio inest: neque intellectu possibilis. Quod quidem apposito exemplo in sensum cadente docere conaremur: sed hoc non esset ad institutum accommodatum. Quoniam ex rebus commutabilibus peteretur, atque idcirco rei æternæ esset dissimile. Ponendum igitur pro exemplo id quod ad intellectum pertinet. Ac vt auri portio quæ alterius rei significatione est habitura, si immunda sit, repurgatur, vel omnino vel certè quodammodo: vt aurum verè

fit non extrinsecus tantum apparens, sed in interioribus etiam suæ substantiæ partibus, prædictum omnibus auri qualitatibus: sic nobis nunc faciendum est dū essentiam primam per intellectum tanquam per imaginem explicare conamur. Sumendus enim est is intellectus qui perfectissimè est repurgatus. Ad cuius cognitionem si quis aspirat, ea in spiritibus est quærenda. Si quidem hi puri sunt & inexplicabilem habent venustatem: quoniam nihil nisi intellectus sunt. Quos qui cōtemplatus fuerit, eis per similes euadet: nec ampliùs virum iustum appetet, quòd corpore pulcher sit, sed quia intellectu talis esse videtur. Spirituum enim pulchritudo summa est. Quoniam sine vlllo errore semper, pureque intelligunt, resque cognoscunt, non vt humano labore inuentas, sed vt diuina voluntate detectas. Quæ tam arduæ sunt vt has sola virtus, quæ propria intellectus, contemplando possit attingere.

CAP. VII.

Spirituum genera distinguit, deinde ea quæ sunt in mundo hoc comparat cum ijs quæ intelligibili continentur: maximè in spirituum natura & varietate.

Spirituum etiam aliquot genera sūt. Quisdam enim cœlestes, in ipsis stellis potissimum suam sedem habentes: quòd illorum actiones in ijs maximè appareant. Alij in to-

tis orbibus sine vlla differentia siti: Quia incorporei sunt, neque stellis tantum, sed omnino ipsis orbibus sine discrimine præsent. Si quis verò inquirat an in mundo hoc, qui in sensum cadit, quicquam sit cuius mundus alter sit expers: equidem in illo hæc etiam inesse dicimus, Cœlum, Terram, Mare, Bruta, Plantas, homines, denique ea omnia quæ in mundo hoc reperiuntur. Sed eorum quæ in illo sunt, nihil esse terrenum: atque spiritus qui in eodem versantur cum hominibus illic viuentibus amica pace consentire. Neque enim eorum vnus alterum expellit, nec ab altero pellitur. Neque vlla in re sibi inuicem aduersantur: sed omnes in maxima vitæ societate conquiescunt. Quoniam eorum autor, sicut antea dictum, vnicus est omninoque sui similis. Illi quoque ea quæ sunt, contemplantur, non quæ ortui & interitui obnoxia. Ijdemque singuli in alterius essentia suâ intuentur. Quia & spiritus qui in eodem mundo versantur, pellucidi sunt, nullaque in parte obscuri: neque item contigui, neque disiuncti: ac eorum quilibet alteri perspicuam lucem præstat: neque quicquam quod ad vnum pertineat, alterum latere potest. Non enim horum contemplatio oculo corporeo terminato, cōmutabili, perficitur colores recipiēdo, sed oculo mētis qui sexta quadam virtute, in vnū sensum colligit virtutes seorsum quinque instrumentis distinctas. Quoniā distantia inter centrum circuli qui ad intellectum pertinet; & lineas ab eodem ductas, nulla mensura definiiri potest.

DE SECRETIORE PARTE

DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECVNDVM

ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS

LIB. V.

CAPVT I.

Animalibus cur data sint diuersa instrumenta ad sentiendum destinata, & in prima animalis conformatione hæc quem ordinem habeant ad sensum & ad animum.

Divinus opifex demittens animos in mundum hunc qui res eas continet quæ oriuntur, eisdem adjunxit, instrumenta varia singulis sensuum facultatibus accommodata: vt animal ipsum se ab externis injurijs tueretur, declinans quæ nocitura præsentiret, persequens autem quæ viderentur conuenientia. Atque idem opifex hæc instrumenta singulis sensibus accommodans,

sua prouidentia hominibus quàm belluis aptiora dedit. Neque verò prius instrumenta conformauit, deinde his ipsos sensus indidit; sed hæc in prima animalis conformatione conjunxit propter eam causam quæ est exposita. Si quis verò diceret, Deum cum præuideret fore vt animalia peragrarent loca calfacientia, aut refrigerantia aliove modo corpora afficientia, ne hæc ab eiusmodi qualitatibus corrumpere adiecisse sensus & horum unicuique accommodatum instrumentum: equidem fatebimur animo prius datum sensum quàm instrumentum: animalibus verò sensuum instrumenta & ipsos sensus simul affuisse.

CAPVT II.

De Deo quaritur, an antecedente deliberatione res in natura procreet: deinde an animus qui in nobis sentit, prius quam cum corpore coniungeretur, fuerit etiam sentiendi facultate præditus.

AT si Deus simul cum animo sensus procreavit, quando is primò procreatus est, videtur necessarium sensus eidem prius fuisse insitos quàm ad animalis constitutionem in corpus sit delapsus. Quæ si vera sunt, eiusdem descensus naturalis erit, atque principij sentiendi inchoatio ad mundum intelligibilem pertinet: in origine autem perfectio, ad elementarè. Quare si idem procreatus est non propter se ipsum, sed vt in domicilio ignobili variisq; rebus afflictò verferetur, consequens erit hunc etiam à primo opifice antegressa deliberatione & meditatione sic esse institutum. At Deum per consultationem agere non dicimus, alioqui eo prius aliquid esset: quoniam meditandò atque deliberandò, ex aliquo priore proficiscimur. Cùm tamen Deo nihil prius sit, sed hic primus omnium: quemadmodum neque eodem quicquam posterius. Porro cogitatio ex principijs ad conclusiones proficiscitur, principiaque per sensum cognosci possunt. At intellectus nihil eorum quæ sentiri possunt, per sensum cognoscit. Quia ab intelligibilibus incipiens in eadem definit. Ex quibus manifestum est, hunc meditandò atque deliberandò ad ea non descendere quæ in sensum cadunt. Itaq; multo minùs primus rerum omnium opifex meditatione deliberationeque indiget ad regèda animalia, aut eorum quicquam quæ mundo tam superiore quàm inferiore continentur. Res autem consulto cogitatoq; ita fieri dicuntur, quòd cùm omnia in sapientia Entis primi procreata sint, eadèq; distincta secundum rationem propriam, & quæ cum altera specie communicari nullo modo potest, non alius vllus sapiens, quantumuis diligentiam ad deliberandum adhibeat, res alias illis similes pariterq; perfectas possit absoluerè. Cogitatio verò ad ea quæ nondum sunt, absoluenda, adiumentum affert, cùm quis prius consultat, quàm agere incipiat. Quare in illa eum qui consultat, prius nosse oportet quid agendum sit: & si quid ea ratione effectum fuerit, ei quod antea cogitatione erat comprehensum, dissimile non apparebit. At cùm aliquid ab alio efficitur, ei quod per solam essentiam agit, non est præcognoscendum quale sit id quod efficiendū est. Quoniam tale tantum efficit, quale esse decet: atque idcirco ad agendum alio adiuuante non indiget: nec antegressa cogitatione. Nos itaque ad id quod initio fuerat pro-

positum, reuersi, statuimus animos prius quàm ad animalium procreationem descenderet, in suo mundo sensu fuisse præditos, sed eo qui ad intelligentiam pertinet, eosdem verò in animalibus procreatis, sentiendi etiam facultatem habere, eam scilicet quæ cum corpore est conjuncta: illosq; medios esse inter intellectum & corpora. Si quidem ab intellectu, sentiendi vim accipiunt, quam cum corporibus communicant: nisi quòd hæc cum ipso corpore communicata, jam alio modo inest, nempe eo qui ipse quoq; nostro sensu percipitur. Quia animus nonnunquam à sensu reuocatus, & ad intellectum excitatus, quæ corporata sunt in spiritum conuertit: illa præparans ad eam cognitionem quæ intellectus est propria. Nonnunquam verò contra efficit, vt quæ spirituum sunt, ea rerum corporatarum naturam accipere videantur.

CAPVT III.

Primus rerum omnium opifex cum reliquis agentibus comparatur, eiusdemque opus primarium cum aliorum agentium operibus.

OPus omne quod à primo rerum opifice profectum, idem quoque æternum & partibus omnibus est absolutum. Quoniam & ipse perfectus est: nec de agentibus quæ posteriora sunt, quicquam est quod ab illo non habeat originem: quoque idem perfectior non sit purior. Hic primus autor qui vniuersum condidit & perfecit, in se consistens, ad se ipse est reuersus. Ideoque agentia omnia quæ ab illo primo diuersa sunt, eodem quoque deteriora sunt minusque perfecta. Atq; ab eò ratione essentiæ pendent: illud autem aliunde minimè. Enimverò ab agentibus secundis in quibus numerantur intellectus, Animus, aliaque simplicia principia, nullum opus imperfectum manat. Quanto minùs igitur imperfectum erit, quod à primo agente proficiscetur? Quare existimandum est hoc apud ipsum perfectum esse & constans, non vltimum sed primarium, cui aliud vltimum subsit: quod vocetur vltimum, quia tempore definitum. Tale verò fit pro ipsius agentis primi voluntate. Atqui antea probatum est opus quod ab agente primo nulla alia causa interjecta affectum est, ab illo vno puncto emanare, atque vnicum secundum substantiam existere. Ex quibus efficitur neque id tempore definitum esse: quemadmodum neque loco concludi potest.

CAPVT IV.

Ostendit quo modo intellectus primus se habeat ad primum opificem rerum omnium Deum, & ad intellectum animus vniuersi, ad hunc naturam communis, quæ primam materiam sic informat, vt ab hac separari non possit.

OMnia quæ post intellectum primum procreari possunt, huic insunt, in quo, vt antea dictum est, agentis Principis proprium opus existit, ideoq; primarium. Nec de ijs quæ posteriora sunt, quicquam effici potest quod ab eiusmodi intellectu non proficiscatur. Quare omnia in illo firma sunt, nec vlla alia puritate perfectioneue indigent: siue ea certo tempore definita sint, siue tempus quantumuis superent. Atque apud eundem vnumquodque semper est vniuersi. Porro ab agente Principe omnia proficiscuntur: ipsum verò ab alio nullo originem habet: Causarumque autor est, atque primum omnium intellectum procreauit: cuius vi reliquorum essentia conseruatur. Intellectu inferior est animus vniuersi, qui huius forma est absoluta, omniumque eorum quæ sequuntur. Quibus singulis pro sua conditione propriam qualitatem tribuit, nonnullis nobiliorem, alijs inferiorem. Animū sequitur ipsa natura, cuius vi procreantur & conseruantur omnia quæ cum materia prima ita cohærent, vt ab hac separari non possint. Illius verò partes sunt causæ inter se connexæ, & in intellectu qui à primo opifice originem habet, conjunctæ, in eodemq; indistinctæ, quæ sibi inuicem nondum causæ sunt. Quarum effectus quidem euidentes sunt, causæ verò interiores, occultæ, ipsumque agens his longè occultius. Ac vt effectus causam habet definitam, sic quoq; causa effectum definitum.

CAPVT V.

Modus agendi Deo proprius à reliquis distinguitur: ipsaque forma omnino materia expertes, ab his quæ cum materia coniunctæ, cum eadem in agendo communicantur.

AGens primum, propter finem non agit: quod conobilitius nihil sit propter quod possit agere. Quare agens est perfectum, omniaque ab hoc procreata ab intellectu diuersa, in eo quod primo procreatum est, vt in forma prima, primum sunt efformata: vt, verbi gratia; animus in intellectu. Is autem cognoscendus est eo modo quo se ipsum cognoscit, quem nos non assequimur. Quoniam in eo vis intelligendi & res quæ intelligitur, vnum faciunt. Ideoq; per ipsum intellectum meliùs res ab hoc differentes

A quàm hunc ipsum cognoscimus. Porro cum aliud ab intellectu & intelligibili per intellectum cognoscitur, tum supra id quod est, etiam propter quid cognoscitur. Quoniam in naturalibus quæ materiata sunt, quæque ipsius intellectus & rerum intelligibilium imagines, duo hæc differunt. Verbi gratia, homo qui in sensum cadit, imago est hominis intelligibilis: Quoniam homo intelligibilis naturam spiritus obtinet, nullasq; partes disjunctas habet, nec oculum à manu situ distinctum. Quod etiam in reliquis partibus similiter est intelligendum. Quandoquidem hæc omnes in illo sunt conjunctæ. Quare esse in oculo, non est aliud ab eo propter quod est oculus. Horum enim distinctio in eis tantum locum habet in quæ partitio cadere potest, partiumque differentia. Nonnunquam etiam in his quæ in sensum cadunt, eadem opera cognoscitur quid sit aliquid & propter quid. Vt exempli gratia, quid sit defectio Solis, & propter quid Sol deficiat, definitione vna comprehenditur: qualis hæc est, obscuratio propter Lunam interpositam. Si verò in ea re quæ mundo inferiore continetur, vnum facere videntur quid est, & propter quid, quanto magis idem continget in intelligibili? Itaque qui definitione aliquid explicaturus est, si pro eo quod est, sumpsit propter quid, verè definit. Quoniã in omni forma intelligibili, esse & propter quid, ad vnum & idem pertinent. Non quòd eiusmodi forma causa sit essentiæ suæ: sed quia qui diligenti inuestigatione deprehendit quid illa sit secundum rationem abstractam, idem quoq; propter quid, simul cognouit. Quare cum ratio qua explicatur quid res sit, minimè distinguatur ab ea per quæ propter quid sit, cognoscitur, harum distinctio quærenda non est. In illis autem partium nullam differentiam existere hoc argumento cognosci potest, quòd totius nomen absolutum de partibus etiam enuntiatur: nec de ijs quære licet propter quid toti insint. In partibus verò quæ à se inuicem sunt distinctæ, quæri potest propter quid insint: neque res vna alterius appellationem absolutè suscipit: quoniam illæ à se inuicem differunt. Neque enim homo, oculus aut manus absolutè esse dicitur. At res intelligibilis cuiuslibet partis appellationem subire potest. Quoniam in illa (sic vt sæpius dictum est) causa eadem est per quam quid res sit, & propter quid sit, explicatur. Quod rei corporeæ hoc ipso quòd corporea est, minimè conuenit.

CAPVT VI.

De primo intellectu confirmat quod de formis omnibus à materia separatis superiore capite dictum est. Deinde agentium differentias explicat: mundoque duplici posito, vtriusque perfectionem inquirat.

Intellectus procreatus est purus perfecta procreatione, eademque temporis puncto absoluta. Quare eius essentia simul incepit & re ipsa, extitit, nulla potestate interfluente. Ex quo apparet, eum qui cognouit quid intellectus sit, simul etiam propter quid sit, cognoscere. Quoniam cum Deus procreando non deliberet, simul rem inchoat eandemque perficit: nulla, sic vt antea dictum est, interjecta potestate. Itaque de re quæ ab illo eo modo procreata est, separatim à quæstione quid sit, non quæritur propter quid: quia hoc in solam rem imperfectam cadit. Si quis verò contendat nonnunquam contingere vt dicatur propter quid sit intellectus: equidem id dupliciter potest accipi, vno modo ex ratione agentis: altero, ex eo quod ab agente efficitur. Quare cum rationes intellectus nequaquam distinctæ sint, ipse vtriusque nomen suscipit: nec cum cognoueris quid ipse sit, de illis quærendum est propter quid insint: sed horum vtrolibet cognito, alterum quoque cognoscitur. Opifex verò perfectum intellectum procreauit, cum ille re ipsa omnino sit, sine vlla potestate permixta, ac ita perfectus vt in eo nihil omnino desiderari possit, idemque purissimus. Qui ex sua essentia hunc procreauit vt opus proprium, vi ipsius verbi vt operationis suæ: atque vt rem eam in qua idem sit propter quid & quid est cognoscere. Enimvero perfectum agens latè patet, taleque est quale veteres esse dixerunt, quorum sententiam postea explicabimus. Agens autem omnino perfectum est quod agit vi solius essentiæ, non per qualitatem: imperfectum contra, quod agit non per essentiam, sed per qualitatem. Quare huius actio pura non est, neque perfecta. Si quidem hanc non eodem puncto inchoat & absoluit. Cumque sit eiusmodi, non eadem

A opera in illo cognoscitur quid sit & propter quid: sed priore cognito, adhuc in posteriore ediscendo est laborandum. Primum agens in agendo imperfectum non est: quoniam ipsum supra omnia quæ sunt, perfectum est. Quare & eius opus perfectum. Cuius rationes qui attingit, ad superiora erigitur. At perfecti agentis opus omne perfectum est, quia & eius actio perfecta: quæ est eadem cum opere quod agendo absoluitur. Agentia verò omnia quæ primo inferiora sunt, illo indigent, horumque actiones eiusdem actionem desiderant. Ideoque omnia inferiora imperfecta eorundemque actiones imperfectæ: atque eadem ratione omnia quæ perfectionem aliquam possunt suscipere, hanc à primo agente recipiunt. Porro mundus compositus est ex rebus conjunctis, vt **B** firmum quiddam quod nullam mutationem subit: quodque eo nomine perfectum est: quia ad perfectionem nihil omnino deest. Quare cum de eo notum est quid sit, simul etiam propter quid, cognoscitur. Quoniam partes eius eadem cum toto sunt, atque etiam inter se: nec multitudinem vllam faciunt, sed vnum quiddam: quod ex ordine earum vna alteri minimè sit subjecta. Quæ si de mundo vniuerso vera sunt, multo magis ea inesse oportet mundo superiori, qui illius pars est: Quod omnes huius rationes in animo eadem sint inter se & cum ipso mundo: nec prius inchoatus sit quàm perfectus. Itaque cum in eo cognitum est quid sit, simul etiam propter quid, cognoscitur. Ex quo **C** consequitur, supra quæstionem quid est, de eo propter quid sit, non esse quærendum. Denique cum intellectus procreationem perfectam esse constet, nemo dixerit eum suis affectionibus esse imperfectum. Quare neque continetur ab eis, neque per eas agit. Rursus quoque rationes intellectus ei aptissimæ sunt: nec cum tempore earum vna alteri ex ordine est subjecta: siquidem omnes simul cum intellectu ortæ sunt. Ex quibus etiam efficitur, quod iam sæpius dictum, vbi cognitum est quid intellectus sit, simul etiam propter quid sit, elucere: magis tamen ipsum quid est ei conuenire: quoniam rationem actus ostendit.

DE SECRETIORE PARTE

DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECUNDVM

ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS

LIB. VI.

CAPVT I.

Quomodo stella in hac inferiora agant, & utrum malorum causa sint.

NEque verò etiam si propositum sit in affectionibus versari, hæ explicandæ sunt quæ in res singulas cadunt. Atque nos quidem de his scribere volentes quo modo scilicet earum vi nonnulla efficiatur, eas causas considerabimus quæ corporibus addictæ, non animales sunt neque voluntariæ. Stellæ igitur quasi mediæ sunt inter artē & artificē: Neque similes agenti primo, neque materiæ ultimæ, ad perfectionem adiumenti aliquid afferenti: neque iis inter quæ agendi patiendiq; quædam vicissitudo existit. Verum similes sunt ditionum in terra distinctionibus, in quibus singularum urbium disciplina sic est instituta ut propositis præmiis probi ad bonos mores inuitentur, alij vero metu pœnæ à vitiis auocentur. Sunt etiã stellæ his similes qui mores ciuium in publicis actionibus ita dirigunt, ut quamquam varij inter se sint & dissimiles, omnes tamen referantur ad vnam deliberationem, propositumq; habeant bonum. Quod si qui fortè obijciant in ditionum distinctionibus signa esse tantum: id quidem verum esse respondebimus, modò hi signi nomine id intelligant in quo via quædam est ad rem dirigens. Nos enim nonnumquam primum ex posteriore probamus, ut effectum ex causa, & simplex ex composito. Aliquando autem ex principio accidentia discimus, & ex simplicibus composita. Ex quibus etiã intelligitur quod erat institutum, utrum stellæ eorum malorum causæ sint quæ inferiore mundi parte contingunt. Hoc etenim idcirco non probamus, quod earum actiones à voluntate non proficiantur; cum illæ voluntate superiores sint, idque solum ex voluntate agat quod boni & mali principium esse potest: quod verò ipsa voluntate superius est, in id solum quod bonum est, feratur. At mundi inferioris affectiones & præparationes à superiore cū quadam necessitate proficiuntur; non ea quæ in res infimas & in belluas cadit, sed quæ ad ipsos spiritus resq; æternas pertinet. Verbi gratia vna animalis parte sentiente, altera quoque sentit: utque animalis partes om-

Tom. 4.

Anes ad vnam affectionem reuocantur: sic quæ ex superiore mundo contingunt, in eo quidē vnum faciunt, sed in inferiore magnam varietatem suscipiunt. Quare quod à corporibus cælestibus proficiscitur, bonum tantum est: malum autem efficitur cum inferioribus permixtum. Si quidem à superiore mundo tantquam à vita profluit. Ac etiam fortasse quod à superioribus naturæ terrenæ impressum est, aliud agit: quia in hac tantam vim non habet, quantam in eo à quo proficiscitur.

CAPVT II.

Ex superioribus positis de cæli virtute in hac inferiora influente, repetuntur prima fundamenta effascinationis, huiusque modi varij distinguuntur.

Effascinandi ratio duplex est. Vna ex rerum concordia, earumque inter se proportionem: altera illi contraria, ex dissimilitudine virtutumque multitudine. Quæ licet diuersæ sint, vnam tamen partem perficiunt. Atque fascinandi quidem ea ratio quæ arte constat, fallax est: quoniam suo fine plerumque excidit. Vera autem & minimè fallens altera, quæ ad sapientem pertinet. Siquidem hic animi comprehensione cælum imitans, omnia pro viribus agit: quædamque ducit pro vnius rei ad alteram amore, alia trahit pro eo imperio quod vna res in alteram obtinet. In quo illi adiumento sunt virtutes rebus terrenis ingentæ. De quibus quædam vnius rei ad alteram amorem augent, aliæ ad patiendum atque recipiendum ab altera, propensionem maiorem afferunt. In ipsarum enim rerum cōsecutione, fundamentum est fascinationis: illæque cognitæ, maximè conseruantur ad exercendam vim amoris efficacis. Porro ea fascinatio quæ absoluitur verbis suauibus acutoque sermone & callido, loquentis opus non est, sed cogitationis sermoni subiectæ; quæ vnum ad aliud trahit vi eius amoris quo res ipsæ secundum naturam conciliantur. Est enim aliquid quod animos interualis locorum disjunctos conciliat per mutuam inter illos cōcordiam. Atque etiã nonnulla sunt quibus inest vis amoris eiusmodi ut sentiens nonnunquam inuitus sequatur: non aliter quam musicus aliquando sua sponte mouetur ad artis

CCC

concentum: nonnunquā gestu corporis eundem sequitur, nec tamen illum rationis iudicio amat, sed sensu. Atque hæc species fascinationis est quam vulgus nec admiratur, nec odio habet: quoniam ipsa consuetudine familiaris effecta est. Admiratur autem alias naturales: quoniam illis non oblectatur, eoque errat. Ac sic vt musicus delectat & allicit audientem, affecto quidem sensu, ratione tamen minimè patiente: sic fascinator alium inuitum trahit, non quidem intellectu cognoscentem vel sensu, sed tantum impressio- nis vi percipientem quendam impetum à naturali diuersum. Hic verò proficiscitur à communionem actionis inter res ipsas, quæ hominem immutare potest, & à pristino statu euocare. Quare si quæ impressio facta percipitur, ea ad animalem spiritum pertinet, non eam ratio suscipit: quoniam illam non sequitur. Si verò ratio audientem adiuuat, hicque ad illam declinat, non idcirco permittit spiritum animale à musico pati, aut ab ipso fascinatore, aliave qualitate ad corpus inferius pertinente. Atque vbi fascinando aliquis solem aliasve stellas inuocat, obsecrans vt instituto opere absolucendo adiuuent: non equidem sol aliasve stellæ, orationem illam audiunt, sed certo quodam modo mouentur. Nempe vt in corpore humano membrum vnum percepto alterius motu mouetur, & in cithara vnus chordæ agitatio in alteram redundat: sic ab aliquo quædam mundi partes mouentur, & propter has, alias quoque, quæ earum motum percipiunt, moueri contingit. Sunt enim omnes mundi partes ordine quodam distinctæ, secundum eam rationem quam habent adinuicem. Et vt habent animalis partes quemdam consensum in motibus qui accidunt propter maximam naturæ communionem, sic in mundi partibus est intelligendum.

CAPVT III.

Fascinandi vim potissimam à cælo emanare: hæc tamen virum iustum esse superiorem, præsertim ea animi parte in qua principium est rationis & intelligentiæ.

Res inferiores miris fascinandi viribus præditæ, has ab orbibus cælestibus acceperunt, per quos etiam agunt. Quare homines in fascinando astute inuocationibus vt solent: vt id ex se facere videantur. Quamquam non ita est, sed per motum vimque ab illis orbibus influentem id faciunt: ideoque etiam prætermissa eiusmodi inuocatione, ipsæ naturæ vi suo tempore fascinarent. Si quidem partes mundi vnitæ, secundum naturam se mutuo trahunt: ex eoque accidit quod antea dictum est, vt qui inuocando fascinat, idem quoque per vires naturæ accom-

modatas operetur. Neque verò mirum videri debet, hominem imprecando exaudiri: quoniam à cælo alienus non est: maximeque si iustus est. In quo si quis contendat, nonnunquam etiam iniustum, inuocando fascinare: dicamus, hunc virtutem eiusmodi ex eodem fonte cum iusto haurire. Siquidem natura vires suas in omnes communiter distribuit, nec vnum ab altero discernit: sed potestas quædam est superior atque nobilior, à qua illa distinctio proficiscitur. Si quis autem hoc etiam opponat, vniuersum ratione partis vnus pati, ratione alterius agere, hæcque cælestem esse & impatibilem quæ inferiora suapte natura, non aduentitia quadam vi agat, quoniam omnia quæ agendo impatibilia sunt, suapte natura non aduentitia vi agunt: & si quid aliter contingat præter institutum potestatis contingit: dicemus, partem vniuersi superiorem, cælestem scilicet, quæ primaria est eademque nobilis, sua vi agere, & eandem tamen ratione partis vnus ab altera nobiliore pati. Nō quidem eo modo quo inferiora pati dicuntur, quoniam nullam recipit impressionem quæ corporibus vel animis accidat, sed in ea, superiora in inferiora corpora animosque, sine vlla imperfectione agere: Si quidem omnia firma permanent mutationisque expertia. Rursum verò si quis hoc inquirat, nunquid fascinatio in hominem probum purumque cadat; quod cum illa in rebus aliis magnam vim habeat, in hoc longè maiorem habitura videatur: dicemus virum iustum fascinationis vim non recipere in ea animi parte in qua rationis est principium: & si qua sui parte patitur, id in ea illi accidere quam cum vniuerso animalium genere communem habet, & cuius origo ad inferiorem mundi partem pertinet. Ita tamen vt neque in hac fascinator institutum suum consequi possit, nisi ipsa ratio assentiat. Quoniam fascinationis vi quædam spiritui animali imprimuntur, si animus rationis particeps illum præparet: alia verò non imprimuntur, si eadem præparatio deest. Nititur enim fascinator in spiritum animale agere, sed eius actionem ratio repellit: siue ea ad mortem pertineat, siue ad morbum, siue ad alterius corporeæ affectionis impressionem. Et quidē animus rationis particeps in eam partem agit in qua sensus est principium (quoniam pars vna mundi agit in alteram, si in primo opifice fidem nacta sit) tumque homo à fascinationis vi liber euadit. Nā si pars animi sentiens per aliquod intervallū distans, recipit impressionis sermonem fascinantis, ac per auditum trahitur, cum ipsoque fascinante coniungitur, atque ei quodammodo respōdet, quanto magis eadē in mūdo inferiore proxima ei in qua rationis est principium, præsto aderit, eidemque respondebit atque parebit?

CAPVT IV.

Ex superioribus colligitur in nonnullis hominibus faciliorem, in aliis difficiliorem esse fascinationem.

Qui in externam aliquam affectionem procliuus est, facile recipit impressionem fascinationis naturæ suæ respondentis. Hanc enim quodam modo allicit: nec eius quicquam à se repellit. Virum autem in exteriora minimè declinantem, tantumque in essentiam suam incumbentem, quam semper contemplatur ac diligit, fascinator immutare non potest. Facile etiam aduentitiam fascinationem recipiunt qui externis actionibus sunt dediti. Quoniam quasi sua sponte ad eam accedunt, hæcque in illis excitat sui oblectamentum. Non aliter quàm is qui intellectu maximè viuit, vbi mulierem formosam conspexit, eandem amat atque expetit, sine vlla fascinatione quæ arte constet. Naturalis enim fascinandi vis virum ad mulieris formam allicit, illumque cum hac coniungit, non loco, sed animo. Quare nonnulli cecinerunt, hominem pulchrum re vnicum, quodam modo esse multiplicem, vt significarent, eum qui pulchrum hominem intuetur, eundem diligere, nec propter formam ab illo diuelli. Ex quo accidit vt amatus ab amante distinguatur. At in virum contemplantem, & in externas actiones minimè incumbentem, fascinatio non cadit. Quoniam per sensum non coniungitur cum ijs rebus quæ fascinandi vim habent. Quod verò homo qui videt & videtur quodammodo vnum sint, sermo verus est, nec à ratione alienus.

CAPVT V.

Fascinationis initia altius repetuntur ex ipsa natura, atque ostenduntur vitia omnia, in quæ nostra sponte incidimus, à quadam animi fascinatione proficisci.

Rem verò vnam ab altera ad aliud moueri, ex eo apparet, quòd à liberis parentes ad labores excitantur: quibus hi illos

A seruare possint & alere; In iisque etiam cum defatigatione voluntatem capiunt, nec eorum prius finem faciunt quàm voti sint compotes. Innata quoque hominibus est imperij cupiditas, quæ iram excitat, & iracundas actiones, aliosque motus molestos & rationis expertes, vt tandem imperio potiantur. Ad hæc, naturæ indigentia paupertatisque metus faciunt vt diuitiæ expetantur: ne quid ab illis mali cõtingat. A quibus diuersa quoque est oculorum concupiscentia. Appetitio enim à naturæ indigentia imprimis proficiscitur: quòd illa sine rebus externis seruari, alique non possit. Si quis verò contendat, eum qui bene vitam instituit, non fascinari, quemadmodum neque eum qui bene consulit: nos quidem dicimus, virum contemplationi deditum, rectè vitam instituentem, si ad alia non transfertur, nihil fascinationis pati: quoniam talem se conseruat, vt vero bono perfruatur: atque in hoc solum incumbit, non declinans ad ea quæ terrena sunt, sed cogitatione defixus in mundum qui sola intelligètia percipitur, huius vitam perpetuam expetens, atque in eadem imitanda laboras. Qui verò in ea quæ mala sunt, ignoratione quadam incidit, hæc bona esse arbitratus, in eisq; perseuerat ad quæ pertrahitur, hic à natura fascinatus est falsa pulchritudinis specie. Quoniam ea quæ terrena sunt, pulchra esse vereque bona arbitratur, atque idcirco eadem vehementer concupiscit. Itaq; id expetens vt bonum, quod reuera bonum non est, ea appetitionis parte quæ cù sensu coniungitur, fascinatus, ad rem inuoluntariam trahitur. Sic enim fascinati amor fixus est. At qui non trahitur ad ea quæ terrena sunt, nec illa vt pulchra aut bona sequitur, is in fascinatione non incidit. Siquidem æternum bonum contemplatur, idemq; expetit & obseruat, seque ipse intuetur. Quare hac mentis elatione supra hæc inferiora excitatus, omnem fascinationem à se repellit. Effectum est itaq; quod dicebamus, quamlibet mundi partem ab orbibus cœlestibus pati, pro varietate naturæ suæ, proque huius præparatione: quemadmodum in animali pars vna corporis ab altera patitur. Quoniam vnicuique sua inest proprietates, & quædam aptitudo ad subeundum motum ab altero proficiscentem.

DE SECRETIORE PARTE
 DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECVNDVM
 ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS

LIB. VII.

CAPVT I.

Cur animus qui in nobis rationis & intelligentiæ principium, è cælo in corpus descenderit: quidque commoditatis, in cælum postea reuersus, ex eodem corpore reportarit.



Nimis nobilis, reliquit mundum superiorem vt posteriora informet & regat. Quo munere perfunctus & ad eandem mundi partem reuersus, hanc utilitatem consequutus est quod boni malique naturam experientia didicit, quam alioqui perfectè scire non potuit. Neq; tamen illam spirituum more cognoscit. Quoniam hi vitia voluptatesque quib. homines in vita hac inuoluuntur, non in natura sua cognoscunt, sed secundum rationes quas in se veras continent. Quia spiritus eiusmodi, dignitatem maiorem adepti sunt, quam vt ad hæc possint descendere. Qui si eo modo quo animi humani, illa cognoscerent, corporis quoque communiōne contaminarētur, & ab eodem diuulsionem tentarent. Præsertim cum illi rationis participes, hinc cū materia conjuncti eiusdemque sordibus infecti, ea per eiusmodi conjunctionem discernāt. De quibus si quis mundus permanserit, is à corpore separatus, summa felicitate perfruetur. Quæ posita est in contemplatione spirituum eorumque quæ nobilissima sunt atque primaria. Ipseque eo modo perficitur, ad discernendam vtriusque mundi conditionem. Quamquam verò hic in mundo inferiore vincente sensu, in materiæ pelagus demersus sit, & naturæ finibus conclusus, eiusdem tamen ab intellectu illustratio non intermittitur, sed semper influit. Quoniam hæc ad illius essentiam pertinet, nec ab ea vnquam diuellitur. Quare animi in corpus descensus hoc attulit, quòd ille per experientiam bonum à malo perfectè potuit discernere: omniaque quæ ad inferiorem mundum & ad huius naturam pertinent: dummodo ille integras virtutes seruet, rectasque actiones, quarum in mundo altero erat particeps. Si quidem hæc nullæ essent nisi absoluerentur, & sensibus fierent manifestæ: sine quo eas adhuc animus continere videretur,

A quas prius habuit reconditas. Quod perinde esset ac si ipse nunquam fuisset. Ex quo etiam efficitur non apparentibus eius viribus, superiorem mundum intelligibilē ignorari oportere. Quoniā cum ex ijs quæ procreata sunt, aliquid sub aspectū cadit quod pulchrum sit, illustre & appetendū, homo magna cum admiratione intuetur manifesta huius insignia, rimaturq; etiam interiora. In quibus ipsum opificē veneratur, quòd huius opus pulchrū esse sentiat, & summam perfectionem adeptum: quodq; in eo summum bonum sit, cuius virtus est infinita. Post opificem & huius opus primum, reliqua quoque honorata & perfecta abundè apparent. Quia eorum quæ opifex, qui vnicus est, procreauit, manifesta insignia latere non possunt.

CAPVT II.

Vnde rerum procreatarum varietas extiterit: quoque ordine res à Deo procreata, per medium intellectum, in animum, hinc in corpus organicum & patibile desinant.

Si primū ens vnum in essentia sua quiescisset ac cohibuisset facultatē suam, operationemq; & illustrationem, nihil eorū existeret quæ vel perpetua sunt, vel commutabilia atq; caduca. Si autem neutrum horū extitisset, opus primi opificis rationem principij non haberet: sic vt neq; luminis, neque eius quod verè bonū est. Quod nequaquā potuit contingere. Quoniam si id quod vnum est atque primum, vera causa est: opus etiam eius verū oportet esse principium. Et si vera lux est quæ influit, verū quoq; lumen esse quod illam recipit. Itemq; si in illo est vera bonitas irrigans, verè quodq; bonū esse, quod ab illa irrigatur. Quare nō erat consentaneū, Deum solū existere, neq; hūc nihil aliud procreare, intellectum scilicet lucis suæ nobile receptaculū. Neq; verò ab ipso deo solus intellectus extare potuit, nullo alio existēte quod luminis ab hoc emanātis splendorē exciperet. Quare ratione animū etiam conformauit, qui infra intellectū in superiore mundo, ita esse solus non potuit vt alterū nihil esset quod huius operationes exciperet. Atque eadem de causa hicò mundo superiore descendit, ad declarandas facultates actionesque vitæ nobiles, quibus absolutus est. Quoniam natura huius

quoque operi est subiecta. Amplius etiam hæc inferius aliud quiddam informat quod patibile est, & ingenita facultate comparatum ad recipiendas impressiones illius superioris trahentis. Si quidem omnia superiora agunt in ea quæ minora inferioraque ad se attrahunt.

CAPVT III.

Formæ rerum naturalium materia addictæ, cum cælestibus intelligentiis, materia expertibus, in agendi facultate & modo comparantur: harumque omnium inter se ordo iterum explicatur.

DE substantiis quæ intelligendi vi sunt præditæ, deque his quæ natura constant, nulla omnino est otiosa præter substantiam infimam, omniumque maximè imbecillam: cuius actio non potest apparere. Nullam verò substantiam naturalem otiosam esse posse ex eo intelligitur, quòd semina cum terræ mandata sunt (nisi fortè nonnunquam à loco ambiente obruantur) quoniam spiritu plena sunt, & quadam ex parte cum ijs communicant quæ corporis expertia, necessario agunt, donec simile quiddam secundum speciem procreauerint. Idque ex eo accidit quòd ijs insint rationes ad intellectum pertinentes conjunctæ, quæ alioqui aspectabiles non essent. Sunt autem eiusmodi cum suas actiones edunt, cumque in ijs miras facultates ostendunt. Quare si rationes quæ seminibus insunt, non possunt esse otiosæ, multo minus intelligentiæ perpetuæ, actiones suas cohibere possunt: nisi fortè subiectam habeant materiam quæ impotens sit ad eas recipiendas, aut quæ illas eo vsq; debilitet ut in rem alteram agere non possint. Itaque intellectus vim suam immitit in animū, hic in vniuersitatem naturæ, influentibus virtutibus superioribus atq; nobilibus. Neq; enim quiescit substantia corporea ad motū comparata, neq; ex se vitam habet: sed pro varia cōditiōe, ab animo vim bonitatemq; capit. Quoniā primus opifex propriam actionem absolutam edidit, intellectui proximam, qua deinde intellectū ipsum procreauit. Postea vero per intellectū ut causam intermediam, animo dedit originem: cuius virtus subinde in mundum hunc influit: Primaq; forma quæ expressit, fuit materiæ primæ. Quia principium est ex quo constant substantiæ corporeæ, eademque in sensum cadentes. Quarum ut in sensum cadentium, hoc ipso quòd principium est, formæ bonum prius ex animo mutuatur. Et enim quælibet substantia in sensum cadens, bonum formæ continet, pro sua capacitate ad aliud recipiendū. Pro ut verò materia ab animo formam suscipit, naturæ causa est. Quæ vi eiusdem causarūq; efficacium, procreandi facultatem continet. Deinde ad naturam terminatus est ordo

Tom. 4.

A formarum intelligendi vi præditarum atq; efficacium. Naturæ autem insita sunt generationis principia. Quæ cum agant informentque substantias, sine illa naturæ actione esse nullo modo possunt. Quoniam eiusmodi essentia intelligendi vi præditæ, à prima causa hoc acceperunt, quòd effectrices sunt formarum aduentitiarum, earumque quæ ortui & interitui obnoxia.

CAPVT IV.

Mundi vtriusque comparatio breuiter explicatur: ut intelligatur quomodo superioris virtute hic inferior regatur.

MVNDUS qui in sensum cadit, imago est eius qui sola intelligentia percipitur, & intelligentiarum quæ huic insunt. In eodemq; exprimentur superiores virtutes magnæ, nobiles atque perfectæ, quæ in hunc ab illo influunt. Substantiæ quoque quæ intelligentiæ sunt, eas continent quæ in sensum cadunt. Atq; primus opifex simul cum intellectu easdem intelligentias continet. Nec intellectus ipse tantum in numero intelligentiarum habetur, sed has confirmat, sicut & eas substantias quæ in sensum cadunt. Substantiæ autem quæ intelligentiæ nominantur, reconditæ sunt: quoniam procreatæ ab essentia prima causarum principe, quæ inter illas eam quæ principatum obtinet, sine vlla alia intermedia procreauit. At substantiæ aliæ sensus mouentes, commutabiles sunt: quia imagines substantiarum occultarum. Esseque incipiunt cum gignuntur: confirmantur autem atque consistunt, per intelligentias quæ substantiæ firmæ sunt atque perpetuæ.

CAPVT V.

Animus cum intelligibilibus & sensilibus, inter quæ medius est, comparatur: & quid ab intelligibilibus accipiat, quoque modo agat in sensilia, inquiritur.

DESSENTIÆ species duæ sunt: vna in sensum cadens, altera quæ sola intelligentia percipitur. Atque animus quidem in superiore mundo qui ad intelligentiam pertinet, nobilior est atque perfectior: in inferiore autem ignobilior deteriorque efficitur, ratione corporis eum quo coniungitur. Cumque ipse particeps sit intelligentiarum mundi superioris, omnino expertus esse non potest sensilis mundi, nec eorum quæ hic in se continet. Quoniam eius natura cum utroq; commune quiddam habet: ideoque minimè deest hunc conqueri, quòd superiorem mundum reliquerit, & in inferiorem descendit: si quidem inter hunc & illum interiectus est. Et quæquam sit in numero substantiarum

CCC iij

diuinarum, tamen quia inter illas postremus est, inter sensibiles obtinet principatum. Porro idem iam contractus ad mundum naturalem atque sensibilem, continet quidem virtutes suas aliunde influentes: sed & infundit alias sibi proprias: mundumque ipsum exornat dotibus innumeris, & sordibus expurgat; ac vitia, ne commisceantur, magna cura repellit. Quare in mundum hunc idem influens, non solum eius externas partes, sed & internas exornauit, inserendo virtutes earum rationum quarum interior est operatio: quæque per obseruationem inuentæ sunt: & cum explicantur, ad stuporem vsque admirandæ sunt. Animum verò interiora corporum magis quàm externa exornare, argumento est, quòd in illis natura interna est, non circumstant. Idque eo signo deprehenditur, quòd corpora natura constantia, interna vi aguntur non externa. Sic enim videmus animalia ac plantas etiam si nullam externam pulchritudinem præ se ferant, tamen si non impediuntur, de interioribus suapte natura fructus illustres ac bonos effundere, cum ratione atque operatione admiranda. Ad hæc nisi ille corporibus naturalibus inesset, iisq; miras suas rationes insereret, varias actiones in interioribus illorum partibus edens, corpus suapte natura caducum, celerius multo dissolueretur, nec tandiu cōsisteret. Quoniam ille corporis alicuius puritate atque dignitate perspecta, virtutum suarum influxu, huius naturam constituit, imprimitque rationes ad res miras efficaces: à quibus intimæ eiusdem partes mouentur.

CAPVT VI.

Quomodo animus ad vtrumque mundum se habeat, & à superiore accipiat, cum inferiore autem suam virtutem tantum influendo communicet.

Animus cum in corpore est, ab hoc discessum parat, ac immutationem querit. Deinde reuersus ad superiorem mundum, cum in vtroque iam versatus sit, ac duplici cognitionis suæ gradu (cogitationis scilicet & experientiæ) hunc nouerit; (non aliter quàm is qui rei alicuius leui cognitione præditus, eaque allectus, hanc diligit, cuius vsu antecedentem cognitionem confirmet) cumque alterius superiores ordines honorandos perspexerit, iam perfecta scientia cōstituit, superiorem mundum hoc excellentiorem esse. Vt verò intellectus descendens, influxum suum terminat in animo, quòd hic, sic vt antea sæpe dictum est, mundi intelligibilis portio quædam sit, eaque in qua rerum subiectarum imagines ab eodem intellectu sunt consignatæ: sic cum post reditum ascendit, in prima causa conuiescit, cu-

A jus vis intellectui est impressa. Si quidem per experientiam exploreteq; cognouit essentiã in illa digniorem nobilioremq; quàm in lumine & virtute, aut in cæteris potestatibus quæ ab eodem originem acceperunt. Porro vt intellectus per se ipse non est, sed indiget robore atque lumine aliunde influente cuius vi consistat & excitetur; vtque cum hic ad superiora moueri non possit, in ea influendo, (sunt enim hæc primus opifex eiusdemque opus primum, ad quod intellectus rationem habet luminis densi atque compressi) ad inferiora mouetur, in eaque vsque ad animum influit: sic animus quoniam plenus est lumine variisque dignitatibus quæ comprehendi non possunt, sursum non profuit, (quoniam intellectus in hunc semper influens, eiusdem refluxu non indiget) sed deorsum, quasi quodam pondere depressus, subiectis rebus dotas suas communicat, atque implet terrarum orbem suo lumine bonoque & honore. De iis autem quæ ab illo orta sunt, præstantissimus orbis est in quo planetæ insunt: quia hic propius ad causam primam accedit. Et quoniam animus ab intellectu formam suscepit, deinde ab essentia motione sua excitatus est, fecit etiam varios planetarum motus voluntarios, naturales atque æquabiles: in quibus operationes sunt sensibus manifestæ. Quales quoque ordines multi sunt intellectualis formæ primariæ, à principe causa procreatæ. Rursum cum mundus vterque moueatur, is quidem qui intelligibilis est, secundum substantiam, naturalis autem quodam illius desiderio; animus quoque mouetur vt mundo intelligibili similis efficiatur. Cumque propter suam imbecillitatem eius quod primum est imitationem non possit assequi, ad inferiora, sic vt dictum est, reiectus, & quasi præ verecundia coactus, in naturali orbe ea innouauit quæ ex elementis composita sunt. Deque illius variis virtutibus per hunc diffusis, singula pro sua natura portionem corporis receperunt accommodatam rationibus eorum quæ in terra latent, aliorumque similibus: quæ de sole supra nos exoriente, excipienda sunt pro capacitate facultatis cuiusque.

CAP. VII.

Ex superioribus concluditur corporum naturalium cum causa prima comparatio, eorundemq; motus distinguuntur: deinde in motu & tempore inter se conferuntur res singula & vniuersa, omniaque qua sensibili mundo continentur, cum aliis qua sunt in intelligibili.

ITaque inter corpora illud cum causa prima maiorẽ habet dissimilitudinem, quod ad recipiendam vim ab animo influentem ineptius est: sic vt eidem similius est, quod ad hanc aptius. De illisque quædam ad motum tarditatem maiorem habent, alia mino-

rem: pro varia differentia quam ad primum idemque vnum, obtinent. Neque verò si causæ non essent gradibus inter se distinctæ, necesse esset secundum substantiam interire corpus quod est aspectabile. Enimvero cum lineæ à centro circuli ea quæ sunt continetis, variæ sint, motus etiam celeritate atque tarditate distinguetur. Siquidem quanto hic hic inferior, tanto etiam tardior, languidior & imperfectior. Contrà verò, quanto superior tanto celerior: donec ad id peruentum sit quod in hoc mundo est supremum. Omnia quoque concreta quæ natura constant, in dissolutione atque interitu intensione quadam distinguuntur atque remissione. Porro mundus is qui natura constat, ad cælestium orbium stellarumque corpora, quæ quidem aspectabilia sunt, terminatur: illaque à prima causa sine vlla temporis circumscriptione patiuntur. Mundus autem intelligibilis, definitus est ad formam primam causamque interiorem. Consimili quoque ratione animus sursum versus, ad intellectum, deorsum verò ad naturam materiamque primam definitur. Quæ omnia sine tempore patiuntur. Quæ autem re ipsa apparent & facultate sunt, vt inanima, plantæ, animalia cæteraque eiusmodi, ea à se inuicem patiuntur. Intellectus autem perpetuus est, & omnis motus expers: cælum verò tempore definitum & motui obnoxium. Singula quoque cum naturæ motu coniuncta sunt: vniuersa verò secundum substantiam quieti similia. Quoniam affectionis nullam mutationem subeuntis, causam oportet esse constantem. Tempus cum motu coniunctum est, natura verò æterna immobilitati propriè est adiuncta. At in mundo intelligibili, mouentur ad primum opificem intellectus & animus. Quoniam in illo nulli fines subiecti sunt, quales in linea ac figura apparent: neque alij motus ex voluntario nutu primæ causæ, quæ primum existit inter omnia quæ procreata sunt: nec ante eam cogitatione fingi quicquam potest aliud à primo opifice, cuius ipsa voluntas est. Quia externæ voluntatis imitatio, quædam est commutatio. Hæc autem causam primam non potest attingere.

CAPVT VIII.

De vtriusque mundi coniunctione & vniione per animum, quoque modo hic in mundo intelligibili existens, cum hoc sensili communicet.

Quius animus, vbi agendo mundum hunc sensilem dignitate sua exornauit, ad alterum qui intelligibilis est, coactus reuertitur, eumque arctissimè complectitur, propter cognitionem quam in eodem diximus omnis dubitationis expertem: Quo-

Tom. 4.

Aniam mundus ille alter nostro nobilior est: animusque illius contemplationem retinens, hunc omnino respuit. Quod ei manifestum est qui naturæ fascinatione liberatus, statimque reuocatus ad intellectum, contemplatus est eorum quæ sunt principia. Ille autem cum reuersus est, idcirco hæc inferiora despicit, quod caduca sint, vel vt eius simulachra; quæ non permanent nisi ab eadem causa subinde renouentur. Amplius etiam ille in proprio orbe dignitatem suam intuetur, ab eodemque virtutem suam attrahit, quam cum hoc inferiore communicat, per eandem hunc cum illo coniungens: vt hac ratione vniuersum suis partibus vniatur. Hanc verò sententiam breui ratione eiusmodi concludimus.

B Quod animus non omnino descendat in mundum inferiorem: nec is qui communis est, nec qui humanus: sed eius aliquid supersit in mundo altero qui intelligibilis est, ab illoque minimè translatus sit: quia loco non indiget, sed propter curam & studium cum inferiore coniungatur, in huncque descendat, vt functiones suas in eodem declaret. Quia fieri non potest vt mundos diuidat, quin ipse cum substantiæ suæ interitu permutetur. Ex quibus efficitur cum in illo existere ex quo pender, nec omnino illinc egressum, in hoc inferiore actiones suas edere.

CAPVT IX.

Quid necessarium sit ad animum in contemplationem diuinorum erigendum: quibusque difficultatibus id in vita hac sit inuolutum.

Sensilis mundus in nos suum imperium obtinet. Quoniam in hunc animi nostri demersi, peruersis libidinibus abundant: quibus efficitur vt mundi alterius intelligibilis concentum negligamus, & virtuti ab eodem influenti minimè obsequamur: non sentientes quid ab hac in animo reconditum sit & illustratum. Idque accidit, quoniam natura animos singulorum regit suo imperio fascinationi simillimo, quo iidem languidiores efficiuntur ad reditum in suam essentiam. Tum autem erunt confirmati & ad agnitionem intelligibilis mundi & ad perspicendam vim quæ per animum influit, cum mundum hunc superauerint, alieni & ab iis appetitionibus quæ cum sensu sunt coniunctæ, & à naturalibus functionibus: In quibus à pueritia familiariter sumus versati, ea sola curantes quæ ad singulorum animos pertinent, prius quam hi ad vniuersa erigantur. De quibus nihil possunt perspicere quædiu tenentur cupiditatum imperio, aut cum ea forma communicant, cuius imaginandi vis est propria. Contra verò in communis animi contemplationem erecti, singulos contemnimus: quamquam diu nobiscum familiariter sint versati.

CCC iiij

CAP. X.

Ideale animal magnum Platonium, in corpore & animo, cum homine comparat: ostenditque quo modo contingat, animum humanum ab eo qui communis est, deficere, aut ad eundem sibi reditum parare.

COrpus etiam quod commune est, se cum inferiore coniungit, hocque sibi conciliat: animusque communis, corpus commune propriis viribus regit, sine vlllo labore. Quoniam hoc facit non ea cogitatione qua animus humanus corpus suum mouet, sed moderatione ea quæ ad intellectum communem pertinet. Siquidem corpus illud nullam varietatem suscipit, omninoque sui simile est, carens compositione partium diuersarum, membrorumque differentium. Quæ quibus insunt, hæc varia quoque administratione indigent: cum partes multæ sui similes, vnius rationem habeant. Animus verò qui certo corpori inest, nobili quidem administratione, sed tamen laboriosa, illud ipsum regit. Quoniam id non sine cogitatione perficit. hæcque indiget propter naturam in

A quam demersus est: & quia permixtus est cum eo igne, qui incurrit in ea quæ ad sensum pertinent. Ex quo dolor nascitur: quia subit aliquid quod præter naturam est, huiusque statum superat. Neque verò contingit animum hac corporis constitutione liberari, nisi varia cogitatione contemplationeque sit exercitatus: atque per hanc consequutus superioris administrationis recordationem, deprehendat id quo fasciatus impediatur, perturbabaturque; ne posset essentiam suam intueri, aut ea exquirere quæ confirmationem afferunt, quæque excitant ad superandas potentes appetitiones prauas, vitiosasque eiusdem animi apprehensiones. Quibus efficitur ut idem relicta æternorum conditione, ad fruendum hoc sensili mundo, ignoraret se paratum se à perfecta charitate, induisse amorem permutabilem atque imbecillum. **B** Cum verò hic confirmatus satis habebit virium ad repellendos eos habitus quibus inficitur atque immutatur, neque amplius illis detinebitur; tum sine vlllo labore atque dolore corpus suum reget: ac si mutationem varietatemque exceperis, animo communi imperando omnino similis efficietur.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIAE, SECVNDVM ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS LIBER VIII.

CAPVT I.

Quæ ignis elementaris sit causa efficiens, inquiritur, ac potissimum quæ in eo forma origo.



IGNIS essentia, sicut & terræ cæterorumque consimilium, ratio quædam est in materia prima. Neque ille ex attritu collisioneque ut agente causa, existit, quemadmodum nonnulli arbitrati sunt, sed in illis latens, excitatur ea concussione per quam quæ sunt arida, vehementer incalescunt. Neque verò materia prima, facultate sua ignis est, sed in illa tantum forma ignis exoritur: cum ratio formatrix huius aliorumque eorum quæ sunt, eidem dat originem. Ipsa autem formatrix ratio, animus communis est, qui igni reliquisque mundi partibus vitam præstat. Cuius vi singula pro sua conditione reguntur: adeo ut per hanc quodlibet ex inanimis plantisque & animalibus, declinet quæ sunt natura. In eadem etiam animus noster conseruatur, per hancque cognoscit omnia, quorum disciplinam percipit. Atque ista est diuina

C prouidentia per vniuersum diffusa, ipsaque lux, cuius vi vnumquodque est & quiescit. Quare à Platone dictum est, animum in corpore quolibet simplici, excitare ignem hunc in sensum cadentem cæteraque elementa. Ex quibus intelligitur, eiusdem eius effe-ctricem causam, vitam esse quandam igneam: ignemque abditum, qui in superiore mundo existit, atque hoc inferiore longè aptior est: quoniam & eodem nobilior. Vitæ quoque participem esse, & vitæ quidem eius quæ in illo, quàm in hoc nostro, longè excellentior est. Quia hic noster illius imago quædam est. Porro cum iam probatum sit, ignem qui ad superiorem mundum pertinet, viuere ea vita quæ in inferiorem influit, intelligendum etiam est, in eo aerem quoque, aquam & terram viuere, ac multo magis quàm in inferiore mundo. Quoniam ab illis superioribus vita in hæc inferiora influit.

CAPVT II.

Confirmat quod superiore capite usurpatum est, vitam ab animo mundi in omnia elementa & ea qua his continentur, esse diffusam.

Elementis his quæ inferiore mundo continentur, vitam inesse, argumento sunt animalia quæ in eisdem gignuntur. Quoniam ex igne animal quoddam existit, & ex aëre, itemque ex aqua. Animalia tamen nata in aëre, maiora sunt magisque apparent, quam quæ in igne. Quia hæc sensum fugiunt, propter ignis subtilitatem atque leuitatem, paucaque sunt, & ea vsque ad aërem mobilia. Qua etiam ratione euidentissima sunt animalia aquatilia. Animalia autem ignea ab elementis inferioribus non patiuntur, sed in illa agunt, neque aërea ab aqua, vel ab ipsa terra. Aquam autem viuere ex eo manifestum esse videtur, quod ex humore quodam nobis infuso caro gignatur. Hæc verò non aliud esse videtur quam sanguis certa ratione concretus. Terram quoque vitæ esse participem manifestum est, tum quia ipsa tota in eo præ se fert animalis speciem aliquam, quod habet aquas subterfluentes tamquam venas, & saxeos montes pro membris ossibus, plantasque velut capillos: tum quod plantæ terræ infixæ viuunt, ab eademque auulsæ intereunt. Plantas autem & animalia præter eum animum qui singulis est proprius, frui quoque vita animi communis, id declarat, quod non possunt aliis alimentum præstare nisi sua vita spoliata: ut plantæ, cum cæsæ sunt; aut animalia, cum interierunt. Nec enim si animal viuum deuoretur, prius nutrit, quam intereat: nec quod in carnem conuertendum est, corrumpitur, nisi quia animo proprio prius oritur. Si itaque talia in carnem vertuntur, seruant vim eius animi quem antea communem diximus. Nec tamen quia elementa vita participant, eadem quoque sentire est necesse: sed ipsa sensum recipere possunt: quemadmodum sanguis ex quo caro gignitur, sensus non est participes.

CAPVT III.

Mundum intelligibilem & exemplares rerum causas aternas qua in eodem vniuntur, comparat cum sensibili mundo, & rerum imaginibus fluentibus, quas hic suo ambitu completitur.

Quæ cum ita sint, reuocato sermone ad id quod erat institutum, dicimus totum mundum hunc in sensum cadentem, alterius esse imaginem; ex eoque necessarium esse, cum hic vitæ sit participes, alterum multo magis viuere. Quoniam si hic perfectus est, illum longe perfectiorem esse oportet. Si quidem huic vitam dat, virtutem, perfectionem atque perpetuitatem. Si verò mundus superior summam perfectionem ade-

Aptus est, necesse quoque est, ea quæ in illo sunt, perfectiora esse aliis quæ mundo hoc continentur. In illo igitur alij sunt cælestes orbis, stellarum virtutes adepti, quales huius mundi orbibus insunt: nisi quod in illo orbis eiusmodi, speciei sunt eminentioris atque lucidioris, neque, quod istis accidit, a se inuicem interuallis distincti: quia corporis sunt expertes. In eodem etiam terra inest, non sua substantia in animata, sed vitæ participes: in qua insunt animalia omnia naturalia terrenaque, quæ in hoc inferiore mundo, sed formæ alterius atque perfectioris sunt & plantæ satiuæ hortensilesque, & aquæ animata vi profuentes, itemque animalia aquatilia, sed nobiliora. In hoc quoque aëre est, & in eo propria quædam animalia, omnino viuentia & immortalia. Et quamquam animalia eiusmodi cum his naturæ communionem quandam habeant, eisdem tamen præstantiora sunt. Quoniam illa ad intellectum pertinent, æternaque sunt & omnis commutationis expertia. Si quis verò inquirat, vnde plantæ cæteraque quæ enumerata sunt, mundo superiori insint, respondebimus, ei profecto omnia inesse; quia in eodem ab opifice primo perfectoque ac infuso sunt profecta. In illo igitur intellectus animique omnes continentur: neque vlla inest defectio, qualis in indigentia & corruptione apparet. Quandoquidem quæ in eo sunt, abundant vbertate, robore atque lætitia: ut pote quæ in vita sublimia sunt, & ab vno fonte deriuata, vnâque qualitate prædita, quæ cæteras in se est complexa: ut sapes dulces, odores suaues, colores perspicuos, concordos sonos, & rerum tactilium differentias, cæterasque perfectiones. Neque verò in eodem partes inter se contendunt, neque miscentur, neque sibi inuicem interitum afferunt: sed singulæ in perfectione sua conseruantur pro optima suæ essetia ratione distinctæ. Eademque cum simplices sint, multas rationes in se continent, sine vlla interiore naturæ suæ multitudine, vel incremento: quo scilicet corpora numero vel magnitudine augentur. In eo etiâ intellectus vacuus est, animusque simplex. Atque duo hæc, quæadmodum & reliqua, naturam habent simplicem: ea lege ut omnia pro sua ratione cum vitæ principio quandam proportionem habeant, non cum rebus secundis atque compositis, quæ in sensum cadunt, pro quarum rationibus, numero augentur.

CAPVT IV.

Agentia facultatibus & agendi modo distinguit: ut ex eo amplius cognoscatur, quo intellectus primus suo motu & actione à reliquis differat: quoque modo ad ea qua intelliguntur, se habeat.

Agens omnino primum, in sensibili mundo vnum est & simplex, facultate vni-

ca præditum. Quod autem ex conditione primum est idemque vltimum, facultates plures habet. Cuius etiam causa est id quod est causæ primæ proximum: eiusdemque opera plura sunt & illustriora, quàm alterius. At eius quod ab illa causa prima remotum est, opera pauciora, eademque imperfectiora. Quoniam intellectus perpetuo motu cietur, eodemque æquabili & secundum omnes partes sibi simili: neque ille ad vnum motum, sed ad omnes accommodatur. Morus autem qui ad partem pertinet, non est vnus modi, sed varius & multiplex: quantoque posterior est, tanto obscurior: donec perueniatur ad vnum simplex, vnique facultate præditum. Et motus quidem hi (qui omnes vltimi sunt, vt pote qui ad substantiam corpoream pertinent,) singuli ab intellectu proficiscuntur: in eoque qui inter hos postremus est, leuis inæqualitas inest. Quia nulla alia virtus adest, quæ aliter moueat: neque inter id quod mouet, remque eam quæ mouetur, proportio commutatur. Neque verò hic motus qui ab intellectu est infimus, vita est quæ omnino ad plura pertineat, sed ad vnum quiddam: ideoque ad partem accommodatus est & scilicet, non communis, nec in alio. Quoniam intellectui non inest nisi vitalis ratio. Ex quo motiones eiusdem substantiæ effectrices dicimus; quod per easdem substantiæ sint, nec sine illis existant. Agit enim ille in singulas substantias motionibus intelligentiæ propriis, quæ originem habent ab autore eius operis quod verè primum est, ideoque ea virtute præditum cui par alia esse nullo modo potest. Atque has quidem intellectus motiones ipsæ substantiæ consequuntur. Mouetur autem ad rem, huius intelligentiam conformando. Quæ quia ab ipsa re non separatur, in hac illius locus est, non absolute, sed quia alium ab eo nullum habet. Porro intellectus semper mouetur eo motu qui est intelligentiæ, nec vnquam quiescit: alioqui netum quidem existeret. Neque verò vnquam intelligendi munus intermittit: quoniam in hoc consistit eiusdem substantia, itemque est intelligens & intellectus. Motusque eius est ipsa intelligendi functio, quæ, vt antea effectum est, substantiis omnibus vitam dat & perfectionem. Si quidem substantia intellectus singulas substantias inferiores conseruat, eiusdemque vita, vitam inferiorum: cum sit harum quædam communio.

CAPVT V.

Motus qui contingunt in mundo intelligibili, à sensilibus distinguuntur: quod in illis nulla sit successio, nulla reuera extremorum distinctio, quæ in iis manifestè appareat.

OMne quod mouetur in mundo superiore, siue intellectus sit, siue animus, si-

Aue aliud quidlibet, id vitali motu mouetur, eundemque perpetuat, pro ratione eorum cum quibus existit. Vt enim viator natura terrenus, terra iter facit, quæque è terra oriuntur, terrena sunt, quanquam maxima varietate distincta: sic omnia quæ in illa vitali regione mouentur, vitali quoque motu cietur, eademque sunt vitalia. Et quidem illic quod fertur, à viæ principio ad finem defertur, (prout scilicet finis atque principium in illis reperiuntur,) atque ita ad finem defertur, vt à principio non distet, ratione contraria ei quæ inferiori mundo inest, in quo quod à principio ad finem translatum est, id à principio differt. Illic verò si quod ad finem perlatum est, distaret à principio, id nec intelligibile esset, nec vitale reipsa, sed facultate. Quare idem suo quodam interitu defineret, eiusque originem aliud antecessisset. At quod intelligibile est & vitale reipsa, idem quoque semper est: ac in vniuersum semper se habet eodem modo.

CAPVT VI.

Inquiritur quo modo intellectus se habeat ad vniuersalia, itemque hac ad res singulas, in quarum communionem existendo, in multitudinem abeunt: sicut ab eisdem dum cogitatione abstrahuntur, ad vniuersum reuocantur.

OMne vniuersum, intellectus est, ac retro comendo, omnis intellectus quiddam est vniuersum: non ita tamen vt vniuersum sit præter singula omnia. Si quidem iis omnibus sublati tollitur vniuersum, quod ad intellectum pertinet; ipsa que singula subinde commutabilia sunt, additioneque & detractioe variantur. Vniuersa autem omnino incommutabilia: aut veritatem ipsam perire erit necesse: quod quidem absurdum est. Quare cum omnis commutationis expertus sit vniuersum, in quo est intellectus forma, consequitur, substantiam intellectus commutari nullo modo posse. Intellectus autem formarum vniuersitas quædam est, quia in se continet vniuersitatem ipsam rerumque formam. Neque tamen res ipsa intellectui impressa est: sed intellectus sibi fingit aliquid rei simile, eidemque accommodatum. Quæ admodum præteritum omne atque futurum ei respondet quod intellectui inest, ac scientia in animo nostro significatis conuenit. Alioqui si formæ in animo rerum formis non responderent, harum scientiam non haberemus, neque per illas veritatis cognitionem consequeremur. Præsertim cum rei veritas, res ipsa sit: quæ ab ipsa re aliena futura, atque ad eam ipsi rei contraria. Animi enim contemplando, formant in se ipsis veritatem ex singulis, quæ secundum singulorum speciem res ipsa est. Quare cum homo aliquid intuendo, formam eius detexerit, animo imprimis

imaginem quæ illi proportionem quadam respondet. Idemque si rursus sine vlla varietate viderit, agnoscit: quoniam cum imagine, ad rem ipsam, certam proportionem habente, conuenit. Quod si etiam tertio proponatur, sed immutatum videat, iam non agnosceret: quia à prima imagine, quæ in animo est, diffidet. Sic verò & artifex prius sibi in animo formam quandam effingit, deinde huius similitudinem in materia vna vel pluribus exprimit. Quoniam rerum ad numerum distinctarum multitudo ex materia nascitur. Quod si alius ex iis imaginibus arte elaboratis, in animo exemplar sibi sumeret, ac postea huic similes imagines in materia efformaret, adhuc formarum singularum quædam multitudo existeret. Nec certè si illarum formarum singularum tollantur, vniuersam tolli erit necesse. Ex quibus concludimus, formas per abstractionem à materia, in vnionem colligi, easdemque per impressionem in illa, multiplicari. Itemque vniuersa, constata esse: singula verò commutabilia atque caduca. Quare intellectui sepe insunt imagines rebus aliis proportionem respondententes. Si quis verò contendat rerum rationes in intellectu, instrumenta esse illarum vicem obeuntia, nec vlllo modo ab eis differentia, dicemus, si hoc recipiatur, dandum quoque esse (quod fieri nullo modo potest) formam in intellectu nobiliorem esse quam in se ipsa sit. Quæ etiam ratione non contingit vt eadè sit cum re in sensum cadente, & vt ab hac nullo modo distinguatur.

CAP. VII.

In intellectu quid vnum sit, quid multiplex, quæque ratio materia prima, itemque forma: in quæ duo principia desinit corporum naturalium dissolutio.

Reuersi ad id ex quo sumus digressi, eius quod dictum est, vniuersum vnum, in singulis multiplicari, exemplum subiicimus in planta & animali. Quorum vtrumque quamuis vnum sit, de plurimis tamen dicitur. Quoniam formæ agentes, in multiplici materia existentes, numero differunt: quæ si in vna sint, specie distinguuntur. Alio etiam modo res vna multiplex est, vt corpus; quod quamuis vnum sit, tamen ratio agens in eo conformat membrorum varietatem: nempe os, oculos & nares: quorum quodlibet quauis vnum esse dicatur, non tamen omnino vnum est, sed rursus ex aliis pluribus compositum, vt ex neruis, venis, cartilaginibus. Nervus quoque etiam si vnus sit, adhuc componitur ex elementis, quod de cæteris similibus eodem modo iudicandum. Vt de sanguine, qui quamquam vnus sit, ex aliis tamen rebus constat. Atque ita semper progrediendum, donec ventum sit ad materiam primam & formam:

A quorum vtrumque cum simplex sit, substantia est vna. Horum verò si nomina explicanda sunt, materia prima substantia est informis, & forma vera id à quo res habet id ipsum quod est. Quibus expositis, statuamus intellectum non esse vnum ea vnione quæ ad corporis formam pertinet. Quoniam, vt antea diximus, illo superior est atque nobilior. Neque item in intellectum, sicut in corpus, multitudinem cadere: sed quia in se rationem continet per quam plura vniri possunt. Habet enim formam vnã qua definitur, & ex qua omnes internæ externæque formæ oriuntur: Si quidem quod vniuersum est, vnit singula: nec horum aliquo sublato ipsum tollitur. Aliunde verò manat facultas cogitationis, quæ intellectui subiecta, nec ab hac intellectus ipse diuiditur, sicut vnum corpus ab altero. Quoniam vnum corpus ab altero distinguitur, externa linea latus cingente: intellectus autem à cogitatione, per ea quæ interna sunt.

CAPVT VIII.

In intellectu quomodo omnia esse dicantur, & in iis procreandis quo à primo rerum omnium opifice differat.

Omnia in intellectu esse dicimus, non ita ramen vt ei res absolutè insint, aut cum eo componantur, sed quia ille has procreat, atque conseruat. Nihil enim, quod quidem constans sit, à nobis cogitari potest, nisi in intellectu: & si hunc tollimus, tolli quoque res ipsas cum sua vniuersitate erit necesse. Intellectus autem cum sit omnia (nempe quoniam omnia efficit) vnum per aliud procreat. Agens verò primum, quæcumque procreat, ea sine medio simulque & in puncto procreat. Itaque verè procreat, quoniam alia re non indiget: nec vnum ex alio efficit: nec ab alia causa adiuuatur, aut ad agendum excitatur. Quare sicut omnia ab hoc procreata sunt, sic ad idem reuertuntur. Atque ideo primum agens appellatur, nomine in rem aliam nullam cedente: si quidè alia omnia ab illo sunt exorta. Ipse verò intellectus in efficiendo, agens secundum est, virtutèque primi efficit omnia quorum ipse est causa. Quoniam præter contemplationem suæ essentia, alia indiget qua in agens primum referatur: neque eius operatio tota simul perfecta est, neque momentanea.


CAPVT IX.

In continendi modo intellectus primus cum vniuersalibus comparatur: deinde cognitio intellectus ab ea distinguitur qua cum sensu coniuncta est.

Sicut omnia animalia intellectui subiecta; per rationem suam sunt in eodem intellectu: sic animalia omnia per rationem suam in animali vniuerso. Si verò dicimus sub

utroque animali plura contineri, verè quidè dicimus, sed animalia mundi inferioris imperfectiora sunt, & pauciora iis quæ ad superiorem pertinent. Nec animal à vita abstracte defertur, quin desinat in minuta quædam animalia imbecilliora, illisque insit in quibus ea vita viventibus quæ singulorum est, communis vitæ vis terminatur: quoniam illis nihil aliud est subiectum. Quod verò dictum est, contingit cum nostra contemplatio, tota est intellectus, & à sensibus omnino separata. Si quidem sensus primò singulorū est, deinde ad species & genera refertur. Intellectus verò primum vniuersa contemplatur, deinde etiam singula. Discrimen autem quod inter supremum animal vniuersum & singulum assignatum est, in sola forma consistit. Neque enim animal vniuersum, ab ani-

malibus singulis absolute differt: sed hæc inter se eo modo se habent, quo amor quem iam in vniuerso exposuimus, ad eum qui sensibili mundo inest. Quem dissoluit nonnumquam victoria elementorum, ex quibus res componuntur. Quoniam hic non coniungit ea quæ sunt, nisi aduentitia quadam vi, nec sine relatione ad primarium finem. Amor autem alter qui ad intelligibilem mundum pertinet, omnia mutua voluntate connectit, vitæque vnione, atque ea appetitione quæ ad finem primarium refertur. Quare nunquam hic dissoluitur. Si quidem nulla est exuperantia quæ id præstare possit. Præsertim cum inter ea quæ superiore mundo continentur, nulla sit discordia, nec vllum odium, sed summa consensus vitæque communio: à qua inferiora vitæ principium accipiunt.



DE SECRETIORE PARTE DIVINAE SAPIENTIAE, SECUNDVM ÆGYPTIOS, ARISTOTELIS LIBER IX.

In cuius initio à vetere Latino interprete obseruatum est, caput primum in Græco Codice defuisse: quod vetustate esset excisum.

CAPVT I.

Animi functiones, in duplici mundo distinguuntur, distinctionisque ratio repetitur ex eiusdem habitudine ad corpus,



Nimis substantiæ intelligendi vi præditæ, iure fruitur hoc ipso quod ex eius est numero cuius actio facultate non est nobilior. Quare inter substantias intelligendi vi præditas, hanc eandem facultatem habentes, alio non indiget à quo vis ipsa ad actionem excitetur. Si quidem purus est & perfectus, ac in spiritus intentus, quemadmodum aspectus in ipsa sensilia. Idem verò in sensibili mundo, alio indiget à quo ad actionem excitetur: alioquin ea quidem percipere potest quæ sensilia sunt. Hoc verò efficit substantiæ quasi cortex, quo homo hic inuoluitur. Quare neque attingit rerum essentias, neque harū vires, nisi prius apertis corticibus quibus res ipsæ teguntur. Quod ut consequatur, intellectus agētis ope indiget. At postquam essentiæ à se ipsæ abstractæ sunt, viresque detectæ, tum ipse animus per se satis potēs est ad eas explorandas, neque alio intellectu agente indiget. Hoc etiā adiicimus, animum in mundo intelligibili essentiam suam intueri, & à reliquis quæ eodem continentur, confirmari. Quoniam cum illis communem habet naturæ simplicitatē, & ad id quod simplex est, cognoscendū, sub-

stantiam quoque simplicem oportet adhibere. Quamdiu vero hic in sensibili mundo existet, nihil meditabitur sine maximo labore: idque quia multiplici cortice tectus est & impeditus: nec proprium actum habet, qui ad contemplationem possit sufficere. Quia hic compositus est: actus verò compositus, ut antea dictum est, non potest ea quæ simplicia sunt, intelligere. Neque verò idem animus explorare hic ea potest quæ ad intelligibilem mundum pertinent, nisi ille post descensum, adhuc in animū ad actionem influat: neque eas substantias attingere, quas in eodem mundo intelligibili prius intuebatur. Quoniā huius intellectus demersus est, ab eaque contemplatione auocatus, qua antea fruebatur.

CAPVT II.

Ex superioribus nata dubitationes explicantur, eademque opera amplius illustratur, quod proximè dictum est, de modo intelligendi in utroque mundo.

SI quis verò forte opponat, substantiā quæ secundum facultatem aliquid contēplatur, quando in actu erit, idē multo magis esse facturam: quod cum actus facultatis perfectio sit, illa tum multo firmitior & alacrior sit futura, fatebimur actum quidem esse facultatis perfectionem, cum illa rem contēplatur, huius imaginem recipiendo. Tū enim facultatem quæ hanc suscipit, perfici contingit. Quādo verò ipsa facultas ex se satis potēs est ad intelligendum, & nulla recepta imagine, re ipsa contēplatur, tum accedens imaginis impressio,

Impressio, nocet profecto, & facultatem ipsam quodammodo labefactat. Quoniam imago huic ferè contraria est, vel certè cum ea nullam naturæ communionem habet. Amplius verò si quis contēdat futurum ut animi facultas intereat, si eam perfectionem suam recipiendo contemplatur, præsertim cum eo modo actum suum recipiat, actus verò ipsius posteritatis interitus esse videatur: dicemus facultatem actum suum recipientem non interire, sed efficacem reddi atque perfici. Quoniam postquam animus reliquit contemplationem rerum intelligibilium, quæ huic in mundo altero solatio erant, eidem in inferiore mundo facultas laboriosa adiungitur. Si quidem in ipsa natura substantias comprehendit, non cognitionis modo qui in puncto absoluitur; sed qui cogitationis discursu quodam indiget. Prius autem quam descenderet, res apertè intuebatur, non harum cognitionē ex cogitationis discursu hauriebat.

CAPVT. IV.

De ascensu animi ad mundum intelligibilem, & quo modo hic partim eadem facultate, partim diuersa, in vtroque mundo intelligat.

Porrò si quis ampliùs inquirat quo modo animus hoc orbe ea intelligat quæ ad superiores pertinent, seque ad illa dirigat, an scilicet eadem facultate qua illa prius cognouerat, an verò nouo quodam actu ad facultatem adiecto: equidem si existimamus illum eadem facultate hinc & illic, ea quæ intelligibilia sunt, contemplari, erramus. Quoniam animus in superiore mūdo simplex est & solutus, hic verò corpore inuolutus & sentiendi facultati subiectus. Aut si arbitramur eundem hinc actu quodam, sine vlla facultate cognoscere, in eo quoque aberramus. Si quidem omnia quæ rei alicuius cognitionem assequuntur, eandem contemplantur vi facultatis propriæ & naturalis, quæ separari nō potest. Itaque constituemus, animum hinc intelligibilia contemplari eadē facultate qua illa intuebatur cum in superiore mundo existeret: nisi hoc interest, quòd cum corpore coniunctus, alio indiget, cuius virtute abstracta consideret, nempe actu receptionis, quo facultas informata, illa perspicit. In mundo autem superiore sola facultate erat contentus: neque eiusmodi actus in eo necessarius. Quoniam in intelligentiis superioribus, quæ re ipsa contemplantur, ipsa facultas perfectio est. At in corporeis actus per quem finem assequuntur, facultatem perficit. His itaque positis, ad institutum reuersi, dicimus, animum eadem facultate in vtroque mundo intelligibiles substantias contemplari. Præsertim cum ea facultas qua mundum alterum contemplantur, cuiusque actio, quædam est

A excitatio, hinc etiam animo subseruiat: quam non eodem modo. Nam illo fruebatur facili contemplatione, hinc difficili & laboriosa. Atque hæc quidem facultas in hominibus beatis excitatur, per quam hi ea quæ nobilissima sunt, intuentur. Et in vtroque mundo illa eadem facultas existit, in illo scilicet principia prima contemplans, sine cogitatione, aut nouæ imaginis impressione: in hoc verò, se ipsa detegens atque excitans. Ad eò ut animus superiorem mundum contemplantur, ab hoc inferiore facultatem suam auocet. Quemadmodum enim homo cum montem aliquem superauit, inferiora circumspectat, quæ aliter intueri non poterat: sic animus postquam sua facultate excitatus ascenderit, superiorem mundum, eaque quæ in illo sunt, contemplatur. Nec verò hic sine ascensu illa intueri potest: quo non indigebat cum in altero mundo versaretur. Atque eiusmodi ascensus animi functionem continet per quam hic superioris orbis essentias contemplatur, suaque facultate ascendens primum attingit de orbibus cælestibus eum qui infimus: deinde ab hoc progreditur ad proximum, donec ad supremum peruenerit. Quemadmodum in substantiis materiatis, ab ea quæ magis composita est, ad eam quæ minus, proficisci solet: donec compositam omnino reliquerit, & simplicem attigerit. Rursum verò animus à summo cælo ad sui cognitionem reuertitur: quia quæ in cælo sunt, quæque cælo superiora, vtraque perfecta sunt atque simplicia.

CAPVT. V.

In animo cum corpore coniuncto qualis remaneat cognitio mundi superioris, in quo ante eiusmodi coniunctionem versatus est: & verum hac vitæ superioris memoria debeat appellari.

Intellectus ab agente secundus, hinc ea repetit, quæ in superiore mundo nouerat. Quare minimè mirum debet videri si idem animus cum cælestes orbis superauit, memoriam seruet eorum quæ vidit fecitque in inferiore mundo: sique etiam in ipsis orbibus memor sit cælestium rerumque abstractarum: præsertim cum in illis confirmatus sit, nec ab ipsis corporibus formisque primis, sapientiæ suæ vllam immutationem capiat. Si quis verò quærat cum cælestes orbis immutentur (neque pristinam affectionem retinēt) numquid etiā animus eorū essentias intueatur, sciensque in illis aliquid agat: dicemus animo perspetas esse cælestium orbium virtutes atque actiones, neque hunc in illis decipi quòd actiones immutari credit, virtutes verò permanere. Nam si cælestes orbis, sic ut nonnullis veteribus placuit, ratione sunt præditi,

consentaneum est illos animo notos esse, etiam si eorum habitudo immutetur. Si quis vero amplius ambigit quomodo animus qui è superiore mundo demissus, caelestibus corporibus adest, possit adhuc eius memor esse, si memoriam non habuit prius quam ab illa descenderet: nos quidem ponimus eum tum in caelestibus orbibus, tum in mundo intelligibili memoriam habere, sed huius functiones non apparere nisi insit alicui ex corporibus variis, iisdemque inter se differentibus. Neque tamen idcirco retinuit habitus iamdiu præteritos: adeo ut omnino venturus fuerit in obliuionem superioris mundi, nisi leuissimum signum satis esset ad excitandam memoriam. In quo si qui arbitrentur temporis breuitatem generationumque paucitatem obliuionis causam esse, adeo ut cum in orbem rerum ortus redeant, longè antè præteriti temporis memoriã animus amittat, nec amplius recordetur eius quod antea præcognitum, propter interuallũ quod à primo statu interiectum est, dissolutionemque vel internecionem quã continuatus motus attulit: ex eoque accidere credat ut animus superioris mundi memoriam amittat & propter tẽporis intercapedinem nihil eorum seruet quę antea noverat, atque tandem belluarum animo similimus efficiatur, quod quidem in iis est quę probari nullo modo possunt: his opponemus, animum descendentem à superiore mundo in inferiorem, id est, ad declarandas actiones suas cum materia coniunctas, non oportere ad ea quę infima sunt, peruenire, sed ad definitum locum transferri, in eoque consistere. Neque verò eum ad quemlibet ortum accommodari, sed in certo conuiescere, donec alterius imperio reuocetur, atque hinc ad ea ascendat quę cuiuslibet ortum superant, & cū quibus versabatur prius quam cum corpore coniungeretur. Itaque verè affirmari potest, animis eiusmodi, sic ut antea dictum est, non esse ea incognita quę mundo superiore continentur.

CAPVT VI.

Animum singulis stellis errantibus suum attribuit. De quo inquitur quo modo hæc inferiora, in quæ agit, cognoscat: & vtrum rerum præteritarum memoriam aliquam conseruet.

Nunc inquirendum est vtrum animus qui in Sole, Lunaque, aliãve stella, vel in ipso caelesti orbe inest, memoriam habeat: deinde an virtus communis animi, & eius qui inest primarię stellæ (quæ Iouis est) recorderetur. Quæ cū exposuerimus, simul etiã hoc assequemur, intellectus eius qui ab agente secundus est, & animi qui in stellis, memoriam esse differentem. Hinc verò ducto initio dicimus, animos qui in stellis sunt, non

A indigere ea cognitione quæ ad res terrenas pertinet: sic ut animi qui inferiore mudo continentur: quoniam ab iis illam non accipiunt: quare nec rerum terrenarum indigēt memoria, quæ coniuncta est cum quadam progressionē ab vno ad alterum. Quæ vnti adiumento est: quò stellarum animi non indigēt, ad terrena gubernanda hominesque dirigendos. Siquidem illi aliter terrenorum memores sunt, nō per progressionem ab vno ad alterum, sed sola virtute quam à primo opifice acceperunt. Si quis verò contra contendat animos qui in stellis insunt, cū intelligibile mundum huiusque opificem cõtēplentur, non posse non esse memores eorum quæ antea cognouerint, ex eoque cōcludat, memoriam aliquam iis inesse oportere, constituemus, stellarum animos, præsentem intueri superiorem mundum, huiusque opificem: nec eos quicquam latere, sed ad ea quę manifesta sunt & in promptu, ratiocinante memoria illis opus non esse. Quia hæc repræsentatio quædam est absentium minimęque apparentium. Quod si hoc etiam amplius quis inquirat, vtrum animus qui in stella, absentis mundi inferioris sibi que abdit, memoriam habeat: dicimus quod cogitationis ad rem aliquam pertinentis, habitum continet, si postea ipsa re aspectum fugiente, illum amiserit, id notiam quandam impressione suscipere: animos autem qui in stellis sunt, nullam impressionem recipere, nec vnquam inferioris orbis contemplatione priuari. Porro si quis hoc quoque percontetur an num stellarum animi agnoscant se terrã vniuersam vidisse, die vel mense, annove præterito, aut etiam se superiore tempore vixisse: quoniam nisi id tentiant, futurum sit ut omnino memoria careant: equidem stellarum animi se terrã ambire ac viuere cognoscunt: sed in id quod perpetuum est atque incommutabile, nulla declinatio cadit. In die autem, mense, aut anno, præteritum similisque temporis differentia, declinationis quædam extrema sunt. Nec in eo quod constans est, quia idem semper, hesternum qui, quam est, aliove modo præteritum. Humanus verò animus cum motu constituit diem, mensem & annum præteritum. Atque quemadmodum qui iter facit, pedis eiusdem vestigium multis terræ partibus imprimit: sic motus stellæ in eiusdem animo vnus, à nobis in multas partes diuiditur. Tempus autem in dies distribuitur, quoniam lucis nox succedit: alioqui in tempore, præteriti, præsentis atque futuri nulla omnino distinctio appareret. Ac quemadmodum aquæ gutta quamuis oculi aspectu, quandiu descendit, eadem percipiatur: prius tamen in suprema interualli parte apparet, deinde in media, tandemque in infima: sic præteritum, præsens ac futurum, pro ratione motuum inferiorum à nobis distinguuntur, ut in partibus aliarum

aliæ aliis succedunt, & in eisdem quædam priores, aliæ posteriores. In cœlesti autem mundo dies vnicus est, nec vt in hoc inferiore, nox lucem sequitur: & tamen in illo dimensiones orbium sunt variæ, nec omnes partes inter se similes. Si quidem Zodiacus ab aliis circulis diuersus est, ex eoque minimè contingit, vt cum animus stellæ in vno signo est, ab illo disiunctus, ad aliud transferatur. Quoniam in eo substantiam fixam habet: quæ non nisi cum orbe subiecto deferatur. Nec verò stellæ omnes in eodem orbe sunt: ex quo etiam accidit vt motus habeant differentes. Si quis verò amplius vrgeat, dicatque, stellarum animos in ipsos homines intueri, quòd aliter eorum quæ ad inferiorem mundum pertinent, curam non possint suscipere, neque hæc sine illorum cura in se inuicem permutari, aut omnino commutari: sique illi in homines intueri concedantur, hoc quoque concludat eosdem horum memores esse, atque in illis memoriam vigere: nos quidem dicimus, vt homo ad rem præsentem, in quam cogitatio non excitatur, memoriam non adhibet, sed eam absolutè cognoscit, expeditèque eiusdem accidentia, quòd hæc euidentissimè per se sensus ipsos moueant: sic non esse rationi consentaneum vt animi qui in stellis sunt, relicto communiore modo, secundum* qui ad singula pertinet, qualis est memoria: nisi fortè vt singula ipsa specie comprehenduntur. Cur autem rei alicuius non maneat memoria, plures causæ sunt. Aut enim quia ab eo qui cognoscit, res ipsa contemnitur, quòd nullius sit momenti, ideòque nulla huius imago sensui impressa, in

A theca corporis, id est, in ipsa memoria, quæ cum corpore coniuncta est, reponatur. Aut quoniam cum præsens adhuc sit eius inspectio, nec quicquam (vt imago) obstat quominus obiectum comprehendatur, cogitatione opus non est, quæ reconditum, sic vt præteritum, seruet: quemadmodum si à terra sublimes, aëris spatium aliquod confecerimus, quora pars confecta sit, non meminimus. At quia adhuc in ignoratione versamur, ideòque imaginem conseruare non possumus: aut denique quoniam ipsius rei recordatione non indigemus, hæcque ratione nullam illius imaginem seruare volumus. Quando autem nihil in cogitatione defixum seruatur, non meminimus: Præterea vt cum mouemur, non semper nos moueri meminimus: sic cum aliquid in tempore cognoscimus, non semper temporis notionem cum ipsa re coniungimus: nec cum aliquid discimus, quod certo mense vel anno contigerit, nos ipsius mensis vel anni, alteriusve temporis necesse est meminisse. Quoniam satis est rem ipsam cognoscere. Amplius etiã causa ea quæ perpetuò aliquid operatur, nulla huius notionem indiget: quare neque memoria. Sic autem in agendo se habent stellarum animi. Postremò cum moueantur, vbi ab vno signo Zodiaci digressi, iam aliud ingrediuntur: nihil est necesse vt recognoscant ea signa per quæ mouentur, quātūmve spatij confecerint. Si quidem aduentitia vi seiunguntur, non ex animi proposito, quo ab honorabiliore quadam vi in orbem feruntur eo motu qui nullam omnino habet interpositam quietem.

DE SECRETIORE PARTE DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECVNDVM Ægyptios, Aristotelis Lib. X.

CAPVT PRIMVM.

Ea inter se comparat quæ à Deo procreata sunt, pro vt ab eodem gradibus sunt distincta: potissimum verò intellectum primum, cum intellectu secundo, qui à se inuicem differunt, vt finitum ab infinito.



D I M V S opifex gloria supremus, quoniã & perfectione summus; talisque est, quia cætera perficit. Perficit verò hæc quoniam & efficit. Hocque quia procreator est omnium principiorum quibus essentia quælibet continetur: vtpote qui autor est vniuersi atque mundi vtriusque. Apertè autem primum vitam infundit facultatèque & dignitatem, in singula influens pro vt hæc gradibus suis

D sunt distincta. Quare quo quid illi propinquius, eo plura ab eodem excipit. Primum verò omnium est quod dignitate substantiæ perpetuitatèque constantiæ illi est proximum: idèmq; medium inter opificem primum & cætera quæ ab hoc procreata, prius ab eodem influentem vitam excipit, deinde hanc cum reliquis inferioribus communicat. Si quidem hoc primum omnium procreatum, sua essentia spiritus simplex & absolutus, in se lumen vimque veritatis maximam cõtinet: & quod virtute honorèque inferius est, idem lumen habet tenuius & cum corpore verèque compositione magis communicans. Atque hoc primum quod soli formæ primæ subiectum est, eiusdemque verbo contiguum, substantiam habet inter reliquas perfectissimam: in quam vis quoque influens infinita, ab eodem verò transmissa, iam finita est: pro vt scilicet lumen

potestatis, est appetitus perpetuitatis, quod pertinet ad intellectum secundum, illi primo inter ea quæ procreata sunt, proximū. Quoniam quod primò procreatum est, id in intellectum secundum paulatim influit, ne hic perturbetur, néve lumen diffluat. Cuius infusio appetitionem æternitatis parit, in substantia spirabili, provt hæc illam imitatur. Eiusdem verò intermissione vniuersum dissoluitur & interit. Atque lumen eiusmodi quamuis vehemens sit, arduum & exæstuat, nequaquam tamen imitatione par est vnioni atque verbo opificis à quo sua virtute infinito, emanavit. Ideoque quod ab hoc in vniuersum influit, idem optimum atque perpetuum: nec vnquam deficiens, aut aliunde pendens, sed in omnibus entis primi appetitionem ingenerans.

CAPVT II.

Prius tempore, ab eo distinguitur quod natura prius dicitur: atque inquiritur inter æterna tempus quoduis superantia, quæ ratio sit prioris & posterioris. Vnde nascitur occasio explicandi rursus eum ordinem quo constant qua in vniuersitate, gradibus substantiæ sunt distincta.

Deus, ens omnium primum est, sed eo prioris modo, qui ex procreatione spectatur. Nam cum inter substantias aliæ aliis priores esse dicantur; (vt simplex, composita; intellectus agens, animo;) non tempore, sed essentia atque natura priores sunt: quo etiam modo se habet genus ad suã speciem. Esse autem aliquid hoc modo prius, non autem tempore, ex eo intelligitur quod cum hæc tempus superent, causamque huius in se habeant, non possint aliis priora tempore iudicari. Quare etiam effectum est, vnum non posse dici altero prius tempore, nisi horum vtrumque tempore contineatur, eorūque vnum priore tempore extiterit, altero nondum existente. Itaque inter essentias omnino primaria est ipsa mens, quæ idcirco princeps dicitur: quanquam eadem cum Dei verbo atque cum eo quod primæ formæ est subiectum: eadēque, vt genus summum, omnes substantias illustres, absolutasque & puras sub se continet. Hanc sequitur intellectus qui cum ipsa mente comparatus, secundus est, & illius quasi species, suūque subiectum perficit, cui vt forma quædam propria efficitur. Huic verò lumen inest ab intellectus radice profectum, non aliter quàm crystallo radius à sole reflexus. Ab intellectu adhuc profluit essentia animi ratiocinantis: cuius lumen tenuius est & matutino crepusculo persimile. Quare in hunc obliuio cadit & ignorantia: propter quæ doctrina excolendus est, memoriæque conseruatrice indiget & ratio;

A cinatione, ad essentiam suam confirmandam atque dirigendam. Amplius, ex lumine animi ratiocinantis manat natura animi sentientis; in quo minus lumen est quàm in superiore, atque idcirco sine ratiocinandi vi huic inest tantum facultas imaginum, & ea quæ æstimatrix appellatur. Ex huius verò lumine profluit natura animi in plantas cadentis: quæ quoniam à luce pura perfectâque longo intervallo seiuncta, crassior est relictâ, priuataque vi progrediendi atque respirandi, solam procreatorum similibus facultatem retinet. Ex qua etiam exoritur ipsa natura: quæ quia adhuc longiore intervallo à primaria luce separatur, incorporea tenuitate priuata, corpoream crassitudinem suscipit; atque triax dimensionis quantitatem, longitudinis scilicet, latitudinis & altitudinis: certoque motu cietur qui in orbem simplex est & perpetuus, qualis in cæleste corpus cadit. Atq; hic eiusmodi à primo opifice institutus est ad perpetuitatem ortus rerū & interitus. Mouetur autem motu æquabili, eoque qui alteri minime est contrarius. At cum cælum in se complectatur omnia natura constantia quæ oriri possunt, eadēque conseruet pro conditione formarum quæ singulis rebus compositis insunt, si eius motus peruerteretur, illa omnia deficere esset necesse. Porro ab hac cæli natura quæ ad motum in orbem comparata est; inferior altera emanat multiforinis, variorūque motuum particeps: quorum contrarietas, ortus atque interitus est causa.

CAPVT III.

Connexio vtriusque mundi explicatur, & in connexionem quid à superioribus in inferiora influat: quoque modo hæc illorum vi regantur.

Mundi superioris & intelligibilis natura ordinem imponit corporeo, qui perpetuo motu circumfertur: huiusque orbis per virtutem abditam, à Dei verbo influentem, vicissitudinem seruant in commutatione horum inferiorum, quibus consecutione quadam ortum & interitum afferunt. Iisdēque motibus perpetua vicissitudine sibi succedentibus, ea quæ orta sunt, inficiuntur coloribus qui ad spiritus pertinent, secundum cuiusque speciem & rerum singularum proprietatem: vt consistant suo tempore, eaque quæ consimilis naturæ sunt, vniantur. Cælestis autem natura, ea corpora quæ in inferiore mundo composita, elementaque & quæ oriri possunt, quæque in sensum cadere, mouet à concauitate ad centrum, per essentias superiores perpetuasque, pendentes ab intellectu primario: ad quas etiam accedit virtus quædam à Deo per verbum his insita. Sunt autem hæc substantiæ summæ constantēque: quoniam earum causa firma est, vt pote inter quam

quam & Dei verbum, nulla alia intercedit. Ex quo etiam efficitur, ut illæ sint incommutabiles: alioqui non essent sui similes, nec reætæ. Nam cum intellectus sua essentia perfectus sit, huius quoque opus perfectum esse oportet. Quia hic Dei verbo proximus, assiduam ac infinitam vim ab illo influentem suscipit: nec indiget alio actionem adiuuante. Virtus autem ad excitandum Dei amorē, in inferiores causas influens, finita est: ne illæ hanc recipiendo perturbentur. Inter quas quamuis substantiæ corporeæ, quæque oriuntur, illa virtute excipienda, ab aliis valde deficient, tamen intellectus etiam infimas causas adiuuat. Sic ut in aquis deprehendi potest, ex quibus accommodato tempore certum quoddam animal potius quam aliud quodlibet gignitur.

CAPVT IV.

Animum in quo est rationis principium, cum Deo comparat, & cum inferioribus formis belluarum, plantarum & metallorum.

Natura quæ plantis inest, itémq; belluis, & iis quæ eruantur è terra, effectus est animi eius in quo rationis est principium: aliter tamen quam hic, ipsius intellectus agentis. Intellectus enim animum eiusmodi verè non efficit. Quoniã omne quod verè efficit, idem quoque procreat elementum rei, substantiam scilicet formæ subiectã, & formam conseruatricem elementi. Intellectus autem neque animi elementum, neque eius formam efficit. Quare neque ipsius animum verè dicitur efficere: etiam si medium quiddam sit inter causam huius efficientem primam: rationemque habeat efficientis vltimi, quod idem est proximum. Primum enim agens Deus est, qui verè efficit. Si quidem essentiam procreat, cum ipse sit vera essentia. Nec fieri vlllo modo potest ut sine hoc, ab alio quicquam procreetur.

CAPVT V.

Animi humani, etiam in vita hac, triplicem conditionem distinguit: atque eandem distinctionem sentienti & alenti accommodat.

Cum omne lumen ex se alterum effundat, primum quidem postremo est perfectius, medium verò vtriusque extremi particeps. Porro conuenit etiam lumini quod infusum est insitumque secundo intellectui, tribus gradibus distingui, quorum summus ipsi verbo est proximus, appellaturque verè lumen absolutum, & mundus omnino lucidus: gradus alter est infimus: tertius, inter illos duos medius. Quare cum inter animos quidam primi gradus lumine perfundatur,

Tom. 4.

huius spiritus ad illius perfectionem accedit, similisque efficitur spiritibus dæmonum: atque meditando veritatem attingit, in primi opificis diuinitate contemplans. Quoniam actio ab hoc intellectu cum ratione vera probaque coniuncta, proficiscitur ex vnione cū intellectu puro & absoluto, qui proximus est perfectissimo verbo eius opificis, qui perfectione ipsa atque puritate omnium summus est. Opus verò quod ipsi perfectioni est proximum, necesse est esse perfectum. Verbum autem eiusmodi in se continet intellectum primarium & nobilem: quanquam cum eodem, rationis quæ nomini respondeat, communionem nullam habet. Animis verò in infimo gradu constitutis, & ab intellectu primario separatis, insunt ignorãtia, error, obliuio, incertitudo, deprauatio atque corruptio. Medij sunt quodammodo vtriusque extremi participes, sed eius magis, ad quod magis declinant. Sic quoque se habet animus sentiens itémq; alens, & qui his inest quæ eruuntur è terra. Quoniam harum partium animi vnaquæque, pro illorum graduum varietate tripliciter est distincta.

CAPVT VI.

In simplicibus & compositis substantiis, dignitatis gradus distinguuntur, ex relatione ad Deum ex quo omnia per Verbum & Intellectum profluunt.

Cum simplicitas vel compositio quibusdam substantiis maior inest, aliis verò minor, prout magis minusve à Verbo diuino distant, efficitur inter ea quæ sunt, prius esse quod ad spirituum absolutam simplicitatem verius accedit: utpote quod illi propinquius est. Quod autem ab eodem longiore intervallo seiunctum, idem minus esse simplex & ad naturam corpoream propius accedere. Sic lumen in omnia influit, pro cuiusque capacitate. & eorum graduum qui antea distincti sunt, varietate. Quare quod capacius est, idè quoque propinquius: adeò ut quod primum excipit, sit etiam proximum, propter dignitatem essentiæ, idémque medium inter Deum & cætera quæ procreata sunt. Quod etiam recipit vitæ vim ab illo influentem, receptaque rebus aliis subiectis communicat: idè quoque ipsum perfectius est, quoniam & prius existit, & primam Dei imitationem continet, in qua eiusdem gradus apparet. Eadem ratione intellectus in animum aptè influit: quoniam hic eius imago est: quemadmodum & ipsum Verbū expressum. Operatio quoque communis animi in alia profluit, ab intellectu communi adiuta: qui ad animum se habet sic ut ignis ad calorem eum cuius ipse est principium, & ad alterum qui in alio susceptus. Animum enim intellectus procreat, ita tamen ut ab hoc nihil facultatis extrinsecus effundatur.

DDD iij

CAPVT VII.

Inquirat quomodo in inferiore mundo animus rationis particeps, se habeat ad eum in quo sentiendi principium: utpote quem ex se procreat, & à quo in hac vita haurit prima intelligendi ratiocinandi que principia.

Animus muneris intelligendi particeps, cum est in hoc inferiore mundo, per cogitationem intelligit. Quoniam eius intellectus à primo deductus, impurius factus est & materiatus, id est, cum potestate coniunctus. Atque intellectus perficit animum rationis participem, quem procreat: sic ut pater filium. Perficit autem eiusmodi animus, animum sentientem: si quidem & hunc procreat, eodemque vicissim indiget. Quoniam animus rationis particeps, ad contemplationem principiorum, excitatur à sentiendi principio: sine quo neque ad illa dirigeretur, neque vlla rerum specie informaretur. Quare neque posset à primo intellectu agente vniuersa suscipere. Vniri autem animum rationis participem cum sentiendi principio, ex eo apparet, quòd alioqui nunquam assentiretur affectibus, neque deliciis naturalibus: neque victoriam appeteret: neque ad institutionem disciplina indigeret: aut gloriam affectaret, aut concentu musico, corporisve pulchritudine caperetur. Neque verò in humanitatem procliuis, aut ad ea quæ superiora sunt, aspiraret: aut liberatus, tantam voluptatem caperet. Nihilòque magis corporis commoda persequeretur, ut sanitatem & indolentiam: sed ea sola expeteret quæ ad rationem pertinent. Siquidem illa omnia contingunt ex communiione cum sentiendi principio. Quamquam ille idem purior, excitatus est supra qualitates naturales, quales sunt quæ in aspectum, gustatum, tactum & reliquos sensus cadunt. Cum quibus nisi coniungeretur, nequaquam in fame repletionem appeteret, nec in labore requiem, nec in morbo sanitatem, nec in concupiscentia coitum, ceteraque eiusmodi. Amplius etiam animus rationis particeps, si à sentiente omnino esset separatus, spiritibus similis euaderet: qui de qualitatibus quæ modò enumeratæ sunt, nullam prorsus percipiunt. Atqui re ipsa manifestum est qualitates eiusmodi ab homine sentiri atque discerni: cum contra animus rationis particeps illarum substantiarum conditionem non verè cognoscat, neque delicias spirituum: nisi per rationem exemplarem cogitationemque cum imaginatione coniunctam, qua se ipse dirigit.

CAPVT VIII.

Intellectus in agentem & possibilem, distinctio explicatur, & quo modo agens se habeat ad

A possibilem, quem suo lumine illustrat, quæque sit vtriusque ratio ad intellectum qui nos informat.

Intellectus agens in animum rationis participem influit. Quoniam huius lumen est, quod in naturæ vniuersitatem effusum, alia quæ sunt, dirigit conseruatque omnia, quæ aut naturæ puritate ad eiusdem essentiam accedunt, aut propter impuritatem ab hac recedunt. Nam intellectus primus post mentem principem, vna cum intellectu materiato (in quo nostra essentia consistit) in mundum influit. Atque illius agentis essentia superat naturam possibilem: idemque agens hunc possibilem siue naturalem amat, sic ut doctor discipulum, aut pater filium vnicum, aut mas feminam. Quoniam inter ea quæ sunt, aliud ab intellectu materiato nihil est, quod illius perfectam actionem possit suscipere. Itaque intellectus primus ad hunc iuuandum omnino propensius est: quem conseruat ut opus proprium atque superius reliquis substantiis, quæ singulæ pro essentia suæ puritate atque impuritate, vim illius agentis influentem excipiunt, nequaquam tamen perfectam. Animus autem rationis particeps, qui intellectus est ab agente secundus, id est possibilis, ex earum numero non est. Atque idcirco ille cum hoc prius vnitus, eundem seruat, regit, & illustrat.

CAPVT IX.

Intellectus possibilis munus proprium in excitandis notionibus, explicatur. Ex quo eiusdem comparatio cum animo sentiente concluditur.

Intellectus ab agente secundus, qui possibilis est, non potest sua vi naturales formas repurgare, & ad essentiam suam rationemque vniuersam reuocare, nisi ab animo sentiente excitetur. Quem corporeis qualitatibus nobiliorem, si ille amice complexus sit, cum imaginatione coniungitur, & in eandem propensionem quandam retinet. Quare etiam vicissim hominis animus sentiens, subiici vult materiato intellectui, eoque indui. Quoniam sine virtute ab hoc influente, nihil habet constantiæ, nihil quod posteritati relinquatur. Sed ab eodem adiumentum capit ad confirmandam essentia suæ constantiam. Itaque in homine, inter intellectum possibilem & animum sentientem, mutui amor existit, ab vtriusque indigentia profectus. Duoque hæc secundum substantiam vniantur: ex quo homo perficitur, & inter ea quæ sunt, suo gradu constituitur. Eandem verò comparisonem inter se seruant intellectus agens & animus rationis particeps, sese amore mutuo complectentes, prout coniunguntur, ac ferè in vnam substantiam abeunt.

CAPVT X.

Formarum in corpus cadentium generalis diuisio, earundemque ordo explicatur. Ut intelligatur quid ex animi partibus cum corpore dissolubile sit, quid ab eodem separabile: quidque in huius actionibus rectum sit; quid deprauatum.

ANtea probatum est formam corporis duplicem esse, vnam quidem coherentem per se, alteram corpori inhaerentem: qualis est quæ arte inducitur & alens, aliæque quælibet aduentitia, vt candor & nigror. Hæc enim non coherent per se, sed materiæ inhaeret. Atque huius generis species quædã re ipsa permanet in formis omnibus intelligibilibus: quales radij luminis, qui corpori illustrato inhaerentes, in animo agentis permanent. Quæ cum ita sint, animus sentiens si belluæ insit, in ipso corpore viuente permanet: si verò homini, prius quidem in viuente corpore consistit, deinde etiam in agente. Quare cum ipsa morte corpus fuerit dissolutum, dissoluetur etiam animi pars qua alimur, itémque qua sentimus. Intellectus autem possibilis, qui illi adfuit, permanebit ab agente conseruatus. Deinde etiam consistet intellectus agens à Deo seruat, cuius verbo est proximus. Itaque intellectus agens possibilem amat atque regit: hic verò animum sentientem, vt pater filium, doctor discipulum. Ad quam rem vterque indiget virtute influente à luce vitæque æterna atque suprema. Porro intellectus agens perficit animum in quo rationis est principium: quoniam & hunc peperit: sic vt & hic sentientem, quia eundem absoluit. Vicissimque animus ratiocinans à sentiente excitatur ad cognitionem rerum sensilium, & ad intelligibilitum sapientiam, prout excipit vim influentem ab intellectu agente primario. Quare cum animus ad essentiam suam reuersus, intellectum agentem perspexit, suis actionibus cum illo consentit, nequaquam tamen in omnibus. Quoniam humanæ actiones non nisi quæ propriæ sunt & rectæ, agenti intellectui ascribuntur: reliquæ ignobiles ac peruersæ, ad animum sentientem, cui accidunt, referuntur, non autem ad eam partem in qua est intelligendi principium.

CAPVT XI.

Explicatur intellectus agentis & ipsius verbi cum Deo, atque cum ea animi parte, qua ratiocinamur comparatio.

Intellectus agens animum rationis participem eo ipso nobilitat quod huius origo est, nec ab eodem vnquam separatur: vtpote eum quo sine vlllo medio interiecto, coherent,

A quemadmodum etiam ille cum verbo diuino. Inter quod & intellectum si medium aliquod intercederet, eo ipso à verbo deficeret, nec satis esset perfectum ad omnes scientias sua essentia comprehendendas. Nam si medium vnum intercederet, eodem iure plura quoque contingeret intercedere. Quo posito, intellectus dignitas lumenque imminueretur, & in eodem substantiæ crassitudo aueretur. Atqui cum ille inter ea quæ procreata sunt, obtineat principatum, hoc in iis est quæ fieri nullo modo possunt. Porro diuina essentia à verbo concepto nunquam separatur, sed est ipsum ens: quoniam omnem scientiam continet. Animus autem rationis particeps, quodammodo est intellectus agens, cum illoque conuenit, sic vt cum eo à quo accepit originem. Neque verò ab eodem separatur: quoniam illi proximus, eiusdemque comes est, cuius formam respicit vt inter ipsos intellectus suo gradu illi subiectus. Hic autem materiatus intellectus, magno honore dignus, quia simplex est & spirituum naturam retinet. Quamquam eodem simplicior est intellectus agens, à prima mente secundus, eumque continet, in quo miras actiones edit, ab ipsa mente adiutus, siue ab intellectu principe. Qui ab intellectu possibili proutissimè intelligitur, dum ille intuetur mundum in sensum cadentem, ac præsertim huius gradum præstantissimum, motumque perpetuum ac simplicem, siue occultum, siue manifestum, ab ipso intellectu primario emanantem. Etenim homo contemplans ea quæ in mundo sunt inferiore, vt aërem, plantas, animalia ceteraque eiusmodi, cum ad superiorem ascenderit, in eoque inspexerit spiritus intelligentiæ participes, æternos, vitæque optima & pura fruentes, ac suo gradu omnes continentes, feruentes ardentisque vi luminis quod à primaria luce recipiunt, in eisdem verò maximè intellectum reliquis nobiliorem & superiorem, regentem omnia vi sapientiæ suæ & virtutis ab opifice mundi vtriusque mundi profectæ, hæc, inquam, intellectus possibilis contemplans, simul etiam causam horum omnium principem, mentem ipsam attingit.

CAPVT XII.

Variis rationibus confirmatur mundum sic esse perfectum, vt ei nihil noui possit accidere: quare nec vllas novas rerum species in eo excitari.

MVndi vniuersitas omnia in se continet: nec huic adiici quicquam potest. Quia summam perfectionem est adepta. Quod autem est eiusmodi, id sibi adiici nihil omnino patitur. Etenim si quid huic adijceretur, id aut natura constaret, aut naturale non esset. Adiici autem quod natura constet, nihil potest. Si quidem ipsa natura, mundi est vniuersitas. Quomodo autem continenti adijcie-

tur quod iam eo ipso continetur? Itémque A cum omnia quæ in natura posse esse dicuntur, in alicuius agentis actum cadant, nec in vniuerso quicquam agat sine primo opifice procreante agentem intellectum, fateamur necesse est, posse esse omnia quæ Deus potest efficere. Quare quod ad naturæ vniuersitatē adijci posse dicitur, id aut in illa erit necessarium, aut verò minimè. Atqui si necessarium esse volumus, eoque vniuersitas careat, hac ex parte in ea aliquid deficiet. Cum tamen opus sapientis opificis non possit esse imperfectum. Si verò quod adijci potest, non est necessarium, idque iam adijciatur, erit profectò superuacaneū. At neque in primi opificis actione quicquam redundat, neque in facultate deficit. Rursus quod adijciatur, aut vniuersi pars erit, aut partium numero excludetur. Si verò pars est, extra vniuersum non est. Iam enim firmata est demonstratio extra vniuersum nihil esse, omniaque in illo contineri. At si hoc extra vniuersum esse dicatur, aut procreationis initium habet, aut sine eo est. Si procreatum est, iam vniuersi partē esse oportet: atque eadem ratione efficitur hoc extraneum non esse. Si verò procreationis initium non habet, eodem iure fatendū erit vniuersum sine procreationis initio potuisse existere. Quòd si de diuisione primo loco posita quis eligat, id quod ad vniuersum adijci potest, naturale non esse, quo tādē modo id continget, præsertim cum esse non possit quod naturale non est, contraque id omne quod esse potest, naturale habeatur? Atque etiam animaduertimus totum sine vllō agente esse non posse. Quoniam eo prius aliquid esse oportet, & si quicquam sine vllō agente procrearetur, id multo magis in ipso vniuerso contingeret. Iam verò effectum est nihil sine vllō agente procreari: quia nihil nisi ab alio potest esse procreatum. Ex quibus concludimus ad vniuersum nihil omnino adijci posse. Neque verò cogitatione fingi potest vllam substantiam existere quam intellectus primarius non contineat: & cum antea probatum sit opificem primum sapientem esse ac potentem, is certè nulla re in procreando poterit impediri. Si quidem cum sapiens sit, expers est inscitiae: cum potens, lassitudinem non potest suscipere. Cumque idem liberalis sit, neque inuidia, neque auaritia ab efficiendo reuocabitur. Nihil igitur omnino est quod eū impediatur quominus procreet quicquid boni procreari potest, dummodo placeat. Neque enim longitudine temporis perturbatur: neque ad id vlla alia affectio in eo desideratur.

CAPVT XIII.

Explicatur Verbi concepti cum Deo opifice & rebus aliis omnibus comparatio. In qua admiranda est huius autoris diuinitas, & cum re-

ligione nostra, in rebus valde abditis, summā consensio.

AUtor primarius vniuersi, hoc ipsum procreauit nulla in parte recedēs ab eo quod mentis sapientia præscribebat, vel à sua bonitate atque potestate: vt pote qui in essentia continet rerum singularum substantias, easdēque perficit atque in has influit. Si quidem simplicitate sua infinitus est, neque vllius potestatis expers, etiam si finita virtute in animum influat. Nec enim quicquam hanc ab illo suscipiens per imitationē, ei substantiæ par esse potest, si comparatur cum Verbo procreante, quod vnum cum eadem efficit, procreatumque, iam absolutum est; atque illius præceptum, bonitatem voluntatēque continet. Ex quo omnia orta sunt, crassa, sensum mouentia & subtilia, quæcunque intellectu comprehendi possunt. Quæcunque enim cogitatione complectimur, ab intellectu principe formata, eadem etiā sunt ab ipso Verbo procreata. Neque verò præceptum eiusmodi intellectus principis, conceptum, terminatum est, aut ad commutationem varietatēve subeūdā accommodatum, sed omnes essentias subiectas sua substantia conseruat: harūque nonnullas per intermedium intellectum, quas tamen ipsum de se per imitationem expressit. Neque enim Verbum eiusmodi, phantasia aut cogitationis discursu vtitur: quoniam hæc in primarium opificem non cadunt: quare neque in eius Verbum. Præsertim cum ea quæ vni tertio æqualia sunt, eadem quoque inter se sint æqualia: quemadmodum lineæ à centro ad ambitum circuli ductæ. Alioqui inæqualia essent, quæ reuera sunt æqualia. Itaque cum de rebus quædam sint compositæ, vt quæ affectæ qualitatibus sensum mouētibus, quales colores, soni, odores, sapes, rerūque tactilium differentia, & corpora quædam superiora, vt cælestia, alia inferiora, vt terrena, verbi gratia, plantæ, belluæ, homines, in quibus totum quodlibet sua parte maius est moueturque: ac de motibus qui in hæc cadunt, quidam contrarium nihil habeat, vt cælestis corporis; in alio contrarietas insit, vt in eo qui ad elementa pertinet; quorum vnus alterum impedit: animus rationis particeps ad motum quidem comparatus est, sed ad eum qui spiritum proprius, quique tinctus est coloribus ad eosdem spiritus pertinentibus: quos à superiore intellectu accipit, eisdēque postea transmittit in reliqua inferiora, quæ de se expressit cogitationēque comprehendit. Essentia autem veri producti, abstracta est ab omnibus aliis, sic vt ipse intellectus princeps testatur. Quoniam si in aliquo conueniret cum specie rei procreatæ expressæque, cum eadem etiam opifex ipse mensque prima conueniret, cum qua substantiæ

tiæ communionem habet atque æqualitatem, nec ab ea quicquam est aliud. Id autem fieri nullo modo potest. Quod si apertius velis intelligere; considera vtrum quicquam sit Deo prius in quo mens tua possit consistere: aut altera quædam essentia adiungi, vel ascendere quæ cum illo substantiæ similitudinem habeat. Et quoniam talis nulla potest reperiri, ab illóque separata sunt circumstantia omnia, illum nullo modo poteris cum altero comparare, nec eiusdem essentiam cum altera coniungere, quæ verè hanc ipsam referat. Omnes enim essentiæ ab intellectu diuino formatae procreataeque, eodem sunt posteriores: ab iisque omnibus ille abstractus est, à quo mens primaria extitit: & ab eodem huic impositæ omnes eorum quæ sunt, essentiæ, secundum rationem qua in se spectantur, & à qua omnes differentes formæ oriuntur: sic vt ea quæ sunt ab essentia, omnesque procreatae res conformantur naturæque terminantur, vt rerum species propagentur. Itaque quoniã omnis essentia cum altera comparata, ea aut superior est & prior, aut inferior atque posterior: itémque aut eam abstractione naturæ superat, aut concretionem: nullaque essentia est primo opifice prior vel superior, nulla magis abstracta, efficitur profectò nullam omnino rem externam esse quæ illum æquare possit. Quoniã neque hæ infimæ, neque illæ superiores, attingunt eius mentem pro ea ratione secundum quam huic dedit initium atque perfectionem.

CAPVT XIV.

Mundi superioris & intelligibilis dignitas explicatur: quóque modo ad huius cognitionem animos nostros debeamus præparare, aut ad eundem ascendere.

MVNDUS diuinus omnium est perfectissimus: quoniam fecundissimo numine regitur, quod in inferiorem mundum influit, & in se continet omnes substantias æternas, nec vllum vnquam finem habituras: nec intelligentias animosque omnes. Atque idem immotus est, summa pulchritudine exornatus, suoque imperio res cæteras continens. Nec verò indiget alterius motu extrinsecus quicquam afferente: quoniam omnia in se complectitur. Nec ab alio pati potest: quia nullum agens est à quo aut perfici possit, aut vllius rei adiectionem suscipere. Est etiam idem purissimus: quia nullam partem habet expertem intelligentiæ: quæque ex se non intelligat, ac sine vlla inuestigatione. Si quidem illius principatus (quemadmodum & cætera dignitates) æternus est, vt pote quorum essentia continetur: non tempore circumscribitur, vt aduentitius: præsertim cū nihil æternum esse possit, quod quidē tempore

A definiatur. Tu verò mundum illum eiusdemque nobiles substantias inuestigaturus, contemplationem dirige, hancque secutus caue ne in primis gradibus subsistas. Sed perge, relicto sensu intellectum apprehendens. Quoniam sensus cognoscit tantum singula, vt equum hunc: intellectus autem vniuersa, vt equum absolutè, eademque ratione quilibet aliam speciem. Nec verò species tantum, sed etiam genera vniuersaque eiusmodi aut primo, aut ratiocinatione per sensum in vita hac intellectum excitante: qui deinde in orbe superiore apertè ista contempletur. Quoniam in illo essentiæ æternæ sunt, constantes, erroris nesciæ, semperque præsentis, & omnis mutationis expertes: eademque intelligentes & intellectæ, nec dissidentes: amatae item atque amantes. Nec enim intellectus nisi amore præsentis, intelligit. Si verò tria hæc adsunt, intellectus intelligens, essentia intellecta, & amor vt consequens, iisdem oportet motum & quietem adicere. Motum quidem, quoniam intellectus cum motu intelligit, nõ eo in quo progressio quædam inest, aut prioris status euersio: sed qui perfectionem rei accommodationemque continet. Amor quoque intelligentem comitatur. Quia sine hoc intellectus, quasi in solitudine atque silentio versetur, nihil comprehendit. Quandoquidē per amorem rem intellectam necesse est intellectui accommodari.

CAPVT XV.

Ipsius verbi distinctio explicatur, & vtriusque comparatio cum mundo duplici, cumque huius autore, ac cum intellectu tam agente quam possibili.

IN vtroque orbe nihil omnino existit sine autore primario: neque quæ in vniuerso sunt, alteri subiiciuntur ab eo cuius imperio reguntur atque conseruantur. Possibilis autem intellectus, inter cæteros intellectus, apud Deum est infimus: per quæ nos ea quæ sunt, intelligimus, ille autem sine suo autore nihil intelligit. Neque verò eum intelligit quasi per speculum, in quo representetur; sed se ipse contemplanis, consecutione quadam, autorem suum intelligit: prout viuunt, non hoc ipso quod est. Quare intellectus propter hunc essentiæ gradum perpetuus est, feruens siue ardens, demissus, atque humilis, tranquillus & fortis. Ac propter virtutem assiduè à primo autore influentem, ipsiusque diuinitatis in hoc maiestatem, se eidem perpetuo summittit: à cuius imperio si mundi recederent, omnino interirent. Quoniam & ab illo sunt, & quicquid iis continetur, eius quoque virtute consistit: præsertim si illi paruerint intellectus agens & cælestes orbes qui ipsas intelligentias continent. Quia intellectus qui à diuino primus est, animo ratiocin-

nanti inest: animusque cum eodem secundum suam periodum coniungitur, ac coniunctus vnum efficit, amore gaudioque incomparabili. Sin ab intellectu separatur, in interitum incidit. Porro cum illo coniungitur, quia ab illo est; sic ut ipse intellectus agens cum verbo diuino semper coniunctus, eiusdem quoque beneficio perpetuatur. Nec ipsum verbum, aliud ab intellectu (nisi per aliquod medium) informat: nec intellectus nisi à verbo conformatur. Intellectus verò agens verbo diuino est proximus. Quia nihil potest cogitatione fingi intellectu prius, quod quidem ipsi verbo sit propinquius. Qui etiam propter imitationem primi opificis, nonnunquam verbum abstrahens nominatur. Quoniam per hunc animus qualitates eas que sensum mouent, potest repurgare. Quod si inter primum opificem & intellectum agentem, media quaedam substantia intercederet, hæc procul dubio intellectu ipso superior esset atque nobilior. Hoc autem ei repugnat quod antea est effectum. Quare intellectus agens, primi opificis verbum procreatum appellatur: quia opifex se ipse intuens, informat verbum eiusmodi: nec ea que procreata sunt, contemplans, amplius quicquam innouat. Insunt etiam primi opificis substantiæ, rerum omnium procreatarum essentia. Quia nihil præter huius essentiam intelligitur. Quod si verbum procreatum prius esset intellectu primario, eodem quoque perfectius existeret. Hoc verò quo tandem modo fieri posset, cum antea probatum sit, intellectum primarium eundem cum verbo primo, verbum aliud expressum procreauisse, solumque hoc perfecisse? Dicitur enim verbum quoddam prius ordine, idemque perfectius & purius, quando cum altero inferiore comparatur. Qua etiam ratione continget, ut verbum vllum procreatum intellectu agente perfectius sit: cum eo posito, intellectus eiusmodi aliqua ex parte deficiens, opificem suum pure non possit contemplari? Hunc verò si forte ignoret, aliud nihil amplius poterit discere. Quoniam quicquid intelligitur, per intellectum principem intelligitur. Porro si Verbum procreatum, intellectu agente esset perfectius, hic non haberet rationem causæ necessariæ inter opificem primū & ea que procreata sunt. Quod fieri non potest. Est igitur intellectus agens perfectior atque prior procreatis rebus omnibus subiectis: ac ne cogitatione quidem fingi potest, procreatum quicquam quod illo sit perfectius. Potest certe cogitari inter intellectum agentem secundum (qui non alius est ab animo ratiocinante) & opificem Deum, medium quiddam, nempe ipse intellectus agens. Si quidem ab hoc intellectus secundus moueri potest, admittendo & recipiendo: atque idcirco medium hic est constitutus inter agentem intel-

A lectum primum & ignobilem naturam corpoream trina dimensione præditā. Idemque tres facultates in se complexus est, alendi scilicet, sentiendi atque intelligendi. Ac cum idem intellectus secundus cōtemplatur. Ens ipsum ac vnum, (huius vero contemplandi facultas ipsius primi beneficio conceditur) tum ipse quoque vnus efficitur. Cum autem ad se reuersus (ut scilicet inter duos orbis medius est) se ipse intuetur, tum vnum sequitur: eundemque subsequitur mundus inferior, natura constans atque corporeus.

CAPVT XVI.

Apertius explicat quod obscure dictum est capite superiore, de comparatione intellectus agentis cum ipso verbo: deinde ostendit quo modo intellectus agens & possibilis ad motum se habeant.

I Am igitur effectum est inter merum opificem & naturā, media plura esse interiecta. De quibus primus est intellectus agens, secundus animus rationis particeps, tertius in quo inest sentiendi principium. Atque intellectus primus, post diuinū, cū huius verbo coniungitur vnione inexplicabili, eidemque sic proximus ut cum illo vnum efficiat. Non tamen hæc vnio talis est qualis intercedit inter primum intellectum agentem & secundū qui possibilis appellatur. Quoniā intellectus ab agente secundus, quanquam substantiæ originem ab intellectu primo accipiat, eodem tamen suæ dignitatis gradu lōgè inferior est. Præsertim cū intellectus secundus inter ea que moueri possunt, suo gradu primus sit, pōdens ab intellectu primo. Cuius gradus in quiete spectatur, propter absolutam essentia quæ externa perfectione non indiget, ad quā moueri posse dicatur. Quod autem immotū est, id quod moueri potest, omnino continet, omnesque huius partes: atque continēs prius est eo quod continetur, dignitatēque superius, ac sibi ipsi sufficiens, suæ substantiæ simplicitate, præ alterius multiplicitate. Sæper enim aliquid externum est quod moueat, animusque propter indigentiam, ad ea quæ multiplicia sunt, moueri potest. Ac cū de iis que moueri possunt, quædam moueantur, alia quiescāt, verbum quod est intellectus agens, neque mobile esse, neque ad quietem comparatum dicitur, sed ab utroque horum abstrahitur. Iam etiam probatum est inter ea quæ procreata sunt, primarium esse intellectum primum siue agentem, huic proximum intellectum secundum, qui dicitur animus rationis particeps, à Deo, ut antea dictum est, inter vtrumque mundum constitutus. Si quis verò inquirat quis intellectus primi siue agentis, autor sit, hoc quidem ad Deum referendum: qui illum ante omnia procreauit, eidemque indidit omnia. Hic verò cum Deo sit proximus, eiusdem verbum expressum

expressum appellabitur, nec, ut modo dictum est, in rei mobilis aut quiescentis gradu consistet. Quoniam motus & quies tantum in eas substantias cadunt, quæ illo sunt inferiores.

CAPVT XVII.

Repetis ipsius Verbi cum Deo & intellectu agente comparationem, indeque derivat primam originem ordinis admirabilis inter ea quæ sunt in vniuersitate. In quo est eorundem connexio & in connexione Sympathia, quæ adiunctam habet causæ cum effectu proportionem quandam. Ex quibus concludit Deum proprie nullius rei procreata causam esse. Quoniam ad hanc nullam proportionem habet.

Verbum expressum, causa causarum omnium appellatur, de eoque talis fuit apud Babylonios opinio. Quia ab hoc ea quæ sunt, procreantur, & ab eodem est intellectus secundus: idque propter unionem qua Verbum eiusmodi cum primo opifice coniungitur, à quo ipsum cæteraque omnia quæ sunt, verè procreantur. Causa verò dicitur, quæ est efficax in expressione alicuius similis effectus. Ex quo apparet si aliud nihil procreatum esset, Verbum eiusmodi rationem causæ non habiturum: sic ut eadè ratione de inferioribus nihil est quod tam aptè causa dici possit. Quoniam sine eodè Verbo nihil cum simili expressione procreatur. Atque quoniam nihil à se ipso existentia expressionem recipit; (cum enim iam existit, nequaquam in existentia suæ expressionem incumbit;) non est rationi consentaneum aliquid sui ipsius causam esse: nihilo magis quàm quod prius est, se ipso etiam posterius esse: aut superans, hoc ipso quod est eiusmodi, esse quoque superatum. Porro intellectus agens, qui est verbum eiusmodi, causa dicitur, quia abundat rerum seminibus, in quibus si careret, non aptè causæ appellationem retineret. Immo ne amplius quidem existere posset. Quia non contingit ut quod ab altero extremo pendet, id sine illo existat: alioqui & causa sine effectu & retro commendo, effectus sine causa existet. Quod si contingat, de his quæ sunt, ordo omnis tolletur, eoque sublato perire erit necesse imperium quod virtus perfectior in res alias obrinet. Eadèque ratione agens patienti, & regens ei quod regitur, erit æquale. Quæ tamen inæqualia esse experimur, tum ratione actionis passionisque; tum quia medium in nonnullis vnum est, in aliis multiplex, in plerisque nullum: qualia sunt ea quæ abstracta, facultate perfecta sunt prædita. Ex quibus efficitur, quod erat propositum, causam dici cum quadam relatione ad effectum. Si quis verò inquiret quo modo causa cum effectu coniungi possit, cum hic ab illa differat substantia, etiam si relatione inter se conueniant; dicemus inter hæc coniunctionem esse quæ communi quadam proportionem continetur; sine qua vnum alterius causa

esse non potest, ut pater aliquis, alterius filij. In quibus etsi vnum prius sit altero, tamen eorum quædam est coniunctio. Et quæquam filij ratio insit filio; patrisque, patri; non tamen idcirco ex illis naturæ communio tollitur. Quod autem de his relationis partibus dictum est, idem quoque de reliquis est intelligendum. Sic enim inter elementa (quæ causæ sunt rerum mixtarum & earum quæ eruntur è terra platarumque & animalium) & res ipsas mixtas coniunctio quædam intercedit, itémque inter res singulas quæ ad diuersas species pertinent. Per eandemque communionem iis accidit ut earum vna ab altera affectionibus commutetur, omninoque immutetur, & ut singulæ in sua regione quiescant, aliæque supra alias efferantur, tum dignitate, tum situ. Ut in ipsis elementis aqua supra terram, aer super aquam, & ignis supra aerem: quæ singula in suo loco quiescunt. In animalibus, caput superius pedibus, in plantis quoque rami radicibus. Ipsum etiam animal plantam superat, plantaque ea quæ è terra eruntur. Itaque inter hæc proportio communioque quædam est, sine qua vnum non posset alterius causa existere. Sic cælestium orbium conuersio facit ut elementa nouis qualitatibus afficiantur, omninoque commutentur & patiantur. Quorum est coniunctio multiplex, & in eo quædam consensus quod secundum locum mouentur, quodque quantitas sunt & terminata. De quibus si proportio tolleretur, elementa à cælestibus orbibus non paterentur. Hoc verò falsum ex eo potest intelligi, quod ex elementis nihil oriatur nisi per impressam virtutem à cælestibus orbibus horumque motibus emanantem. In cælestibus enim corporibus formarum naturalium causa est, & in formis rerum compositarum quæ oriuntur: in quibus eiusmodi communio existit. Materia etiã & forma (in quorum vno motum, in altero quietem cogitatione complectimur) compositionis in cælo causæ sunt, ac inter illa & ipsum cælum, magna coniunctio. Quoniam cælum in orbem fertur, forma autem hunc motum excitat. Quanquam non in illo, sic ut neque hic, materia & forma in sensum cadunt. Communis etiam animus ad vtrumque horum proportionem habet, quia vtriusque causa est & firmitior quàm is qui cum certo corpore est coniunctus: Si quidem ille dirigitur descriptione luminis ad ipsos spiritus pertinentis: hic corpori addictus est, & cum materia coniunctus. Idem quoque communis animus, motus causa est in orbibus, quietis autem in horum verticibus: sic ut is qui singulis proprius est, motum præstat instrumentis, quietem facultatibus. Materia quoque & forma in naturam cadunt, hoc ipso quod materia sine forma non potest existere, formaque subiectam materiã desiderat. Amplius intellectus agens

qui communis est, de quo iam dictum communis animi causa existit: atque idcirco cum eodē manifestam in eo communionem habet, quod qualia rerum semina agenti intellectui sunt insita, talia quoque animo insunt, in quo rationis est principium. Nec animus agit quin eiusdem essentia à formis intellectus agentis, aliquid suscipiat. Est & alia communio intellectus huius & animi, quod quē admodum in intellectu commune quiddam est & singulum, sic etiam in animo. Eadem ratione intellectus vnum idēque est cum verbo, primi opificis potestate expresso: sic ut illius voluntas atque præceptum, idē quoque cum sapientia & in eodem gradu essentia genitum. Intellectusque agens à primo opifice procreatus est vi eiusmodi præcepti & voluntatis ab illo minimè differentis: non ex materia subiecta, neque ylo exemplari extrinsecus proposito, sicut reliqua quæ procreata sunt. Ex quibus colligimus semper inter causam & effectum coniunctionem aliquam intercedere oportere: quia sine hac vnum alterius causa esse non potest. Itaque quoniam Deus cum rebus procreatis nulla eiusmodi proportionem continetur, fieri non potest ut vllius rei propriè causa sit. Est tamē autor & effector earum rerum quarum est principium: neque est necessarium inter agēs & id quod agitur, communionem eiusmodi interuenire. Si quidem in agente propensionis ad patiendum cōditio necessaria non est: sed si qua contingit, illa in eo quod ab agente emanauit, apparet. Itēque causa effectui imprimat qualitatem aliquam sui similē, semperque inter causam & effectum commune quiddam deprehenditur: quemadmodū calor qui secundum naturam & essentiam igni inest, communis est cum aëre, aqua & lapide, postquam hæc illius virtute incaluerunt. Atqui fieri non potest, ut mundus sit à primo opifice, sic ut calor ab igne. Calor enim est quasi ipsius ignis animus: ille autem nequamquam ad opificem suum hoc modo se habet. Sic quoque cum animus describitur atque exprimitur ab intellectu qui proximus est ipsi verbo, in quo est omnium procreatorum principium, descriptio seu qualitas animi tantquam effectus, proficiscitur à causa simili, quæ in intellectu agente existit. Amplius si Deus esset causa rerum procreatarum, harū & illius consimilis esset scientia. Hoc verò ex eo falsum potest intelligi, quod ex superioribus iam apparet, Deū sine externo alio exemplari omnia procreasse, nihilque extare siue de rebus cælestibus, siue de iis quæ ad elementa pertinent, quod eius similitudinem referat. Deus igitur summus, ut antea dictū est, nullius rei procreatæ causa est, sed ipsius causæ opifex: hæc verò illius opus. Quoniam nullam communionem habet cum ipsis rebus procreatis.

A
CAPVT XVIII.
De vnitae & dualitate hie ea dicuntur quæ naturam superant. Vt intelligatur quo modo hæc se habeant ad diuina & naturalia omnia.

B
C
D
E
Verbum quod primò procreatum, ab opifice primario constitutū est, ut causa omnium entium quæ ab eodem originem habent. Neque hoc est ipsum vnum: quoniam ab eo non manat rerum procreatarum essentia, vel existētia, sed hæc à superiore potestate. Nec tamen dualitatem subit paritatemve eam quæ ad numerum pertinet: sed vnum permanet verèque abstrahitur. Quoniam Vnū non est ea vnitae in qua est numeri principium. Quamquam etiam numerus essentia quodammodo abstrahi potest: si quidem hæc vnitae inest quoque singulis corporeis substantiis, iisque omnibus ac necessariò. Quibus eam Verbum ipsum bifariam cōmunicauit, nonnullis quidem vnicam, sicut terræ, Aëri, Soli ac Lunæ similibusque reliquis. Quorum quodlibet est vnicum & in plura quæ eadem specie contineatur, indiuiduum: ut verè dici possit, omnem terram esse vnicam, & in cæteris eodem modo. Aliis verò dedit multiplicem, hancque in duos gradus distinctam, quandam ut ignis, stellæ, singulorumque naturalium, ut exēpli causa eorum quæ erūtur è terra, & animantium: alteram, ut singulorum vno numero cōprehensorem, in quo vnitae quædam prima dicitur, alia secunda, tertiave, atque etiam quarta: quæ etsi numerata sint, tamen à naturalibus possunt abstrahi. Deinde progressio fit ad spiritus qui procreatione rerū innouatrice ac viuida, in numerum accreuerunt, donec peruentum sit ad intellectum à verbo diuino ortum, qui vnus quidem est ea vnitae quæ rerum semina insita continet: multiplex autem efficitur pro varietate eorum à quibus abstractio fieri potest, & quorū est procreatio. At verus opifex rerumque procreator numeros omnes superat, abstractusque est à multitudine rerum procreatarū: nec multiplex efficitur pro varietate formarum insitarum, actiuarum vel exemplarium. Quare aliter vnus est quàm ea quæ natura constant, aut spiritu: nec huius vnitae comprehenditur nisi per abstractionē negationemque ab vnitae expressa. Nam qui Deum vnum esse cogitat, quia duo non sit, neque tres, in magna primarij opificis ignoratione versatur. Si quidem ita sibi cogitatione fingit numerum expressum, ut numerandi initium ab eius vnitae ducat, à qua, ut dictum est, abstrahitur. Quæ differentia est vnitatis ad numerum pertinentis, & verè, quæ summo rerum opifici proportionem respondet. Si quis verò inquirat cur hoc modo intellectus vnus sit aliarūque rerum procreatorum

creatarum dominus, respondebimus autem eius esse ens vnum & simplex, quod omnia, pro cuiusque ratione, complectitur, tamque composita sunt, quam que compositionis expertia: innouatque rerum singularum essentiam, & omnium eorum que sunt, multitudinem. Idemque efficit hunc intellectum agentem & omnia que illi insunt, rerumque numerum. Non enim numerus ipse rerum principium in se continet, sicut nonnulli existimauerunt: sed vnum prius est duobus, in quibus numerus quidem inest: ipsi autem vnum numerus non est, sed numerum metitur. Quæ cum ita sint, animus quoque rationis particeps, sicut antea dictum, numerus est per imitationem atque similitudinem eius vnitatis quæ agenti intellectui conuenit. Quoniam substantiæ quæ supremæ sunt & principatum obtinent, corporeæ non sunt, neque possunt accrescere, sed ad spiritus pertinent: nec ita sunt terminatæ ut eas metiri possis. Alioqui crassæ essent solidæque & sua extremitate conclusæ. Argumento verò est, quod rationes in quibus sunt prima rerum semina, ut platarum quæ sunt in humore, manifeste non sunt, neque aspectabiles, sed occultæ aspectumque fugientes, quare multo magis ipsum verbum, quod est intellectus agens, numerusque qui rerum essentias continet. Neque verò hoc loco numerum intelligimus eum qui recenseri potest, manifestusque est, sed qui naturalis, quiq; essentia in alia comprehensa: atque talis est qualis vnitatis dualis superioris mundi, intellectui inest, rationique agenti absolutæ. neque imitatur quidem vnitatem diuinam, sed numerus quidem exurgit in quo forma est rerum singularum, procreatarum ab eo intellectu qui ea quæ sunt verè continet atque conseruat: quique prius conformatus est ab illo vno sub ratione inferioris essentia. Quæ dualitas est atque eadem essentia vnica.

CAPVT XIX.

Dicturus de intellectu agente quo modo per medium verbum à Deo emanarit, diuinum numen implorat, sine quo illud à nobis comprehendere non potest: deinde ostendit vnde extiterit eorum quæ sunt multitudo, & qualis procreatio rerum earum quæ in sensum minime cadunt.

Nunc de intellectu agente querendum est, qui possit ab aliquo intelligi, quoque modo procreatus fuerit, & qualis perpetua eius conditio qui illum intuetur. Inuestigandum etiam id in cuius cognitionem animus (si nulla re impediatur) maxime est propensus, itemque illud in quo veteres maxime sunt perturbati, atque inter se altercati, quo scilicet modo ipsa natura ens vnum absolutum, multitudinisque omnino expertis, procreauerit, & eorum quæ sunt multitudinem, minime

A tamè repudiata vnitatis essentia, imo verò eadem confirmata. Quoniam etsi omnia ab ipso vno profuant, nequaquam tamen in illud multitudo cadit. Quæ cum proposita fuerint, eadem quoque confirmare conabimur. Ad id verò pro viribus faciendum primi opificis opem atque assensum implorem, non ore tantum, sed etiam gestu supplices, animoque abundè, sincerè ac sine vlla intermissione ad eundem conuersi, rogemus ut mentem illustret, depellatque animis accrescentes stultitiæ nebulas, quæ de corpore exoriuntur. Sic enim nos speramus talem constitutionem, (quamuis vnus veri boni atque honorandi,) confirmaturos. Quoniam hoc ipsum suam lucem in eos immittit, à quibus verè sincerèque expetitur. Primum igitur dicamus quod imprimis quoque exquiritur: Ens vnum idemque verum, eorumque sunt multitudinem hoc modo procreauisse: Primum quidem id ipsum quod etiam primò eiusdem contemplationi occurrit, nempe ens vnicum, reliquis omnibus superius: quòdque cum sit eiusmodi, ad illius essentiam reuertitur, & in hac consistens, illud vnum verumque intuetur atque agnoscit superius omnibus quæ intelligi sentiriue possunt: deinde verò ceteras eorum quæ sunt imagines turbulentiæ, & ab illius præstantia longo interuallo declinantes. Quæ cum ita sint, omnia quæ oriri possunt, appetitione quadam ad ipsum Ens mouentur: alioqui ne oriri quidem possent. Dico autem moueri, quoniam ipsa rerum procreatio ab illo motu quodam modo proficiscitur: siquidem sine eo non potest existere. Adde etiam appetitione quadam moueri. Quoniam quod oritur in naturæ suæ constantia cum eodem similitudinem quadam expetit. Quare & ei per contemplationem occurrit. Atque hæc causa est motus cuiuscumque ab illo originem habentis. Vbi verò primarium opificem secundum rationem eiusmodi inspexeris, tum intelliges verbum procreatum eidem esse proximum: ab ipso verbo tandem exoriri virtutes que euidentissime in numerum excrescunt omnesque appetitione quadam ad illud moueri, & ab eodem pendere, ut à firmo agente, sicut antea probatum est, procreatas. A deo ut omnia reuertantur ascendantque ad eam rem quæ inter eas que ortæ sunt, princeps est & proxima Dei verbo concepto, in quo causa inest causarum omnium, effundens in alias substantias essentiam cuique propriam & accommodatam. De quibus ea omnium accommodatissima, quæ perpetua est. Vnum quodque autem vim à Deo influentem per illam causam mediam recipit, pro sua quidque capacitate atque imitatione. Si quidem omnis substantia corporea, quæque alia est inferiori, per prouidentiam primi opificis existit, beneficioque luminis ab illius vnitatis manantis. Quare etiam animus ad illum mouetur eo modo quo imagines ad suum exemplar, appetitione propria & aliqua ex parte

externa. Quoniam omne quod animatum est, secundum substantiam mutari potest, patibileque est atque commutabile, hoc ipso quod ratione substantiæ in aliud vertitur. Primus verò opifex res procreatas mouet, gignendo in eis appetitionem boni absoluti semperque influentis: quod etiam cum omnibus communicat, pro cuiusque capacitate. Ideoque inter omnia quæ sunt, extrema, sicut dictum est, connectuntur ea communione quæ inter causam & effectum intercedit. In qua suprema est causa prima verbo diuino proxima, in qua consistit causa causarum omnium. Alterius verò extremi atque infimi rationem habet substantia per quam eiusmodi causarum vires sparguntur, & in qua eiusdem virtutis descensus terminatur. Quia nihil est inferius quod hæc possit excipere. Cum itaque iam effectum sit, omne quod moueri potest, extremum quiddam habere ad quod & à quo moueatur, (alioqui enim ne moueri quidem posset,) & quod eiusmodi est ad idem aspiret, at-

que ad illius mutationem se componat, cuius contemplatione nos quoque ipsi oblectamur, idcirco singula illi aperta sunt: hæcque causa est motuū omnium ab eodem originem habentiū. Porro si intelligere velis quod prius quærebatur, quo modo primus opifex procreauerit substantias sensum fugientes, perpetuas ac mobiles, cogitatio tibi abstrahenda est ab omni temporis circumscriptione. Quia hæc sine tempore procreatae sunt, ea actione inter quam & ipsum opificem nullum medium intercedit, & in quam nulla cadit successio. Quomodo enim ea procreatio tempore esset definita, cuius autor idem quoque ipse est temporis opifex, & in ordinem adduxit, distinxitque rerum omnium origines tempore definitas? Nec enim temporis autor, est agitur in tempore: sed altiore quodam modo dignioreque res procreatae, ab illo oriri dicuntur. Nempe haud dissimili ei quo corporis umbra, ab ipso corpore emanat.

DE SECRETIORE PARTE

DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECVNDVM

Ægyptios, Aristotelis Lib. X.

CAPVT PRIMVM.

Ostendit quo modo ex ea sensilis mundi parte, quæ celestis est, ad intelligibilem mundum, per contemplationem sit ascendendum. In quo philosophica contemplationis gradus explicantur, & eiusdem summus fructus indicatur.

Dicendum modò est, quàm admiranda ratione sydera animique mundi superioris, hunc inferiorem regant: quandoquidem in illo eadem sunt omnia quæ in hoc, sed sub alia specie, nempe nobiliore. Neque tamen intelligi volumus ignobiles formas rerum quæ in mundo hoc ex putredine nascuntur, etiam in illo superiore existere: sed id tantum accipiendum de formis eorum quæ secundum naturam oriuntur. Nos igitur ad institutum conuersi, dicamus, Iouis stellam, quæ principatum obtinet inter omnes stellas, quæ illic mundum intelligibilem appetunt, postquam potissimum contempla est formas puras, ab eisdem bonitatem lumenque recipere, pro sua capacitate: prout scilicet huius amantior quàm vlla de reliquis stellis, eademque ratione dignior. Quare qui eandem stellam contemplatur, huic in pulchritudine, dignitate ac lumine similis efficitur. Vt enim qui è loco sublimi in terram rubentem oculos demit-

Ctunt, huius aspectu rubescunt: sic qui lumen superius intuetur, eodem illustratur. Sed quoniam stellæ lumen, (quod à luce bonum emanat,) partim internum est partim externum: imò verò illius forma, interius lumen est, (si quidem illa in sensum non cadit,) idcirco ad perfectè planèque intuemum lumen eiusmodi, non est adhibenda speculatio in partem distracta, ea scilicet quæ externa tantum intueatur, interiora verò minimè: sed totum ipsum perlustrandum est. Atque ut aspectus oculi, in totum corpus non penetrat, sed ea tantum quæ in hoc externa sunt, intuetur: sic nulla alia vis cum corpore coniuncta, potest eiusmodi internum lumen attingere. Quare si stellæ virtutem perfectè contemplari vis, necesse est ut ad ipsum animum te reuoces, huicque simili efficiaris, id est, incorporeus. Sic enim euades omnis commutationis expertus: resque eo aspectu percipies qui intellectus est proprius. Ex quo id quoque accidet ut eiusdem splendore implearis. Quod idem continget si specialiore quodam modo Iouem stellarum principem contemplaris. Comuniore enim ratione in illo considerabis pulchritudinem quæ in extremitate altitudinèque consistit. Si verò etiam amplius expectas scientia perfectè consequi illustres formas quæ cælestibus superiores sunt, neque aliter ad interiora summæ dignitatis quæ illis inest, possis penetrare, intueri penitus comodo quem exposuimus, planetarum omnium prin-